Veteris

1560



6575
A
A.XXXVI
16/v

52703

IOAN. VETERIS

ORATIONES IN MEDICInæ commendationem, & in gratiam octodecim Medicæ laureæ Candidatorum inſtitutæ, ac in eorundem ſcholis per tres cõtinuos dies habitæ, in quibus perpetua gymnaſiorum corporis & animi comparatio explicatur.

Ad ampliſſimũ virum D. AEGIDIVM BORDINVM Regij iuris in ſuprema Curia Cognitorem & Procuratorem fideliſſimum.



PARISIIS,
Apud Federicum Morellum, in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.
1560.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

IOANNES VETVS AMpliſsimo viro D. Aegidio Bordino Regij iuris in ſuprema Curia Cognitori & Procuratori fideliſsimo S.

POſtquam in Medicinæ Candidatorum cauſa, quam beneuolè lubentérq; ſuſceperam, multorum mēſium laborem uigiliáſque ſatis ardenter conſumpſiſſem, cœpi apud me abſoluti operis rationem aliquam ſubducere, ac ægrè interdum ferre, quòd tantum temporis in re honeſta quidem & laudabili, ſed minus fortaſſe profutura, tranſmiſiſſem. Neque enim eum me, & ea conditione natum reputabam, qui liberè in ſuauioribus Muſarum hortis & ſcriptione feriari ſine ſummo poſſem detrimento: ſed qui potius in poſterū proſpicere, atque, dum iſto per tuam benignitatem otio perfruor, alicui vitæ

inſtituto mea conſilia, curas, diligentiam penitus conſecrare deberem. Contrà uerſabam animo nihil commodiùs accidere potuiſſe, quàm quòd aliquando præſentiſſimum meæ erga tuam dignitatem obſeruantiæ palàm teſtificandæ argumentũ occurriſſet, cuius captãdi nonnullam occaſionem cupidè iampridem aucupabar. Quare, tametſi ut noſtræ lucubrationes in lucem uenirent, plerique ideo poſtularẽt, quò ritus iſtius præconij (quem vulgò Paranymphum uocãt) exteris innoteſceret: tũ ut noſtris, qui hoc idẽ ingenij diſcrimẽ, quo perfuncti ſumus, ingreſſuri ſunt, imitationis exemplum proderetur (ſit enim ut è portu ſoluentibus, ij qui iam in portum ex alto inuehuntur, præſcribant & tẽpeſtatum pericula, & prædonum, & locorum) fateor nihilominus me non magnoperè his rationibus incitatũ, præſertim cùm mediocritatis meæ conſcius, modeſtè, ut omnia ſoleo, agnoſcam hoc

opuſculum

opuſculum non eſſe tale, ut in arce, quaſi Minerua illa Phidiæ, collocari reſeruariq́; mereatur. Verùm ego ingrati & illiberalis animi crimen, quo nullum turpius placuit antiquis inter homines graſſari, non horream? Ego de te, quem uerè patronum, quietis meæ authorem & alumnum appello, cuius incredibilem in vniuerſo diſciplinarum & linguarum genere doctrinã, memoriam ſingularem, prudentiam penè diuinam quotidie obſeruans amplector, tãdiu cõticeſcam? Equidem duo mihi ſemper ob oculos propoſui, ubi primùm in tuam clientelam domúmque acceſsi: alterum, ut exiſtimationi & virtuti tuæ obſequiosè inſeruirem: alterum, ut in Iacobo Bordino, filio tibi unicè charo, induſtriã omnem & neruos adhiberem: quorum utrique ita officiosè nauabo, ut cùm clientem tibi fideliſsimum, tum filio magiſtrum ſtudioſiſsimum ſentias delegiſſe. Accipies igitur hoc quan-

tuluncunque uigiliarum noſtrarum munus, quod cùm in tuo nomine apparebit, ex eius hominis officina exiiſſe uideatur, qui quamcũque bonarum literarum ſupellectilem poßit unquam depromere, iam inde acceptam tibi & debitam ultrò concedat. Bene uale, & nos, ut facis, liberaliter foue.

Εἰς τοὺς ιη. ἰατρ. Ἰωάν. Γαλαιοῦ.

Ἰητὴρ ἔμμεναι πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων
    Μαιονίδης πάντων μάντις ἄριστος ἔφη.
Πολλάκι μαστεύων γνώμης τ' ἀληθέα μῦθον
    τῆσδε, τόδ' ἀτρεκέως αἴτιον εὗρον ἔμμεν.
Οὕνεκα τοῖς μερόπεσσιν ἀλεξητήρια νούσων
    οἷος ἔφυ παρέχειν ἄμβροτος οἷα θεός.

Δ. τοῦ Ἀυγλιτίου.

ORATIO PRIMA.

QVod à pleriſq; fieri conſueuit, Auditores grauiſſimi, ut initio dicēdi rationem reddant qua de cauſa quidque moliantur, id mihi hodierno die video eſſe faciendū, ne ſi ſuſceptionis meæ conſilium uobis obſcurum ſit, temeritatis aut imprudentię plenum uideatur. Quanquam non adeò aut uehementi gloriæ ſtudio, aut inconſiderato iudicio fui, ut cùm de hoc munere ſubeundo ageretur, nō antè cogitatione proſpicerem qui concurſus hominum futuri eſſent, quantam expectationem rei magnitudo allatura, quantam audiendi cupiditatem loci celebritas iniectura, quantam denique orationi meæ difficultatem octodecim Iatrogoniſtarū exiſtimatio eſſet concitatura. Sed ne uos quidem in dubium uenire arbitror, quin ego his tot & tantis rebus permotus, unà cum

ſpe perficiendi, ſuſcipiendi quoque uoluntatem abiicere debuiſſem, niſi fortè me bonus aliquis genius cõfirmatum ex iſto fluctuantis animi errore in uiam reduxiſſet. Cùm enim arduum quoddã onus eſſe intelligebam, profiteri me omnibus ſilentibus unum grauiſsimis de rebus frequentiſſimo conuentu auſcultandum, propterea quòd, ut eſt hominum genus nimis acutum, uitia in dicente acriter perſtringũtur: tum uerò mihi nõdum ſatis inſtructus uidebar, qui ea omnia, quæ demõſtrari conueniret, & diligentia conſequi, & oratione expromere, & memoria complecti, & ſpiritu ac uiribus ſuſtinere poſſem. Veruntamen nonnulla huiuſce contentionis opinio & uoluntas iampridem menti meæ inſederat, quòd quamplurimos literarũ humaniorum doctores meminiſſem ex iſto primùm loco innotuiſſe, ſummamq́ue nomini ſuo nobilitatem peperiſſe. Quapropter honorificum mihi fore iudicabam, & ad ineundam multorum amicitiam eximium, ſi docendi munere ſimiliter in hac Academia perfunctus, extremũ adoleſcẽtiæ tyrocinium, omneſque induſtriæ neruos in eorum commendatione ponerem,
qui

qui mihi ipſi aut doctrinæ initium, aut familiaritatis ſuæ fructum aliquando contuliſſent. Sic enim ſe res habet, Auditores grauiſsimi, ut ſi longiſsimè ſpatium præteriti temporis, pueritiamq; recordari ultimam uelim, ex iſto octodecim Iatrogoniſtarum numero paucos reperiã, qui me aut ingenio & præceptis ſuis non iuuerint, aut obſequiis & neceſsitudine mirũ in modum deuinxerint. Quamobrem ut oblatæ prouinciæ magnitudo, ut obtrectatorum importuna conſuetudo, ut etiam laterum uociſque infirmitas me hoc aditu laudis prohiberent, quoduis tamen laboris & famæ periculum potius adeundum, quàm à ſperata beneuolentiæ & beneficij referendi gratia diſcedendum putaui. Quid enim illorum cohortationibus aures dedidiſſem, qui tam ſingulare præconium irritã unius hyemis operam appellabãt, mihique longè rectius conſultum ſentiebãt, ſi tam diuturni temporis uſuram priuatis meis ſtudiis & commodis impẽderem? Neq; enim is ſum, qui omnia quæcunque agimus ſic ex noſtro emolumento ponderanda cenſeam, ut cætera, quæ minus ad quęſtũ conferunt, quanuis honeſta ſint, repudiari pu-

tem oportere. Hanc ſanè animi mei propenſionem non modò laudauit, ſed etiam promouit Mecœnas meus Aegidius Bordinus, Regij publiciq; iuris vindex & procurator uigilantiſsimus, cunctíſque literarum & ſapientię dotibus ornatiſsimus: qui poſtquã detrectationis meæ excuſationem reieciſſet, ſpemque attentionis & patientiæ ueſtræ ampliſsimam obieciſſet, me in eam demum ſententiam impulit, ut in octodecim Iatrogoniſtarũ encomio iam iam mei ingenii ueſtrorumque iudiciorum aleam multò lubẽtius periclitarer. Quo loco mihi ferè idem quod Romanis Oratoribus ui deo contigiſſe, ut quemadmodum ſæpè actionem, quam uno die integram perorare non poterant, in plures partiri cogebãtur: ſic trium mihi dierum audiẽtia impetranda ſit: ac idcirco certos fines terminóſque deſcribam, & totam cauſæ meæ dictionem tres in partes diuidam, ut ad dierum numerum æqualis partium numerus accommodetur. Et quoniam quid primum, quid ſecũdum, quid ultimum in ſingulis rebus Natura definiuit, hodierno die currentes, armíſq; inter ſe mutuis cõfligentes Athletas in arenam & puluerem educemus: altero

tero, glorioſos ſacroſancti Olympiorū certaminis uictores in populi conſpectu proponemus: tertio, ad laureā, & ad promeritam laborum mercedem dimittemus. Atque hæc ſunt, Aud. grauiſs. quæ pro meo officio, ueſtraq; (ut opinor) expectatione, trium dierū momento ad hanc prouinciam conſtituto explicanda ſuſcepi: ſed ad ea priuſquā aggredior (ſiquidem à Diis immortalibus capiēda ſunt agēdi primordia) Chriſtum Opt. Max. precor quęſoq; ut in tanta difficultate & anguſtiis ſuo robore infirmitatem meā ſubleuari patiatur: deinde uos etiam, quorum authoritatem ſanctiſsimam ſemper duxi, oro atque obteſtor, ut ſi quid uerecūdius & depreſsius dixero, non tam inſcitiæ, uel timori, quàm Naturæ, quæ, ut nihil omni ex parte abſolutum eſſe uoluit, unicuiq; ſuas maculas, mihi aliquam pectoris & clamoris imbecillitatem inſeuit, pro ueſtra æquanimitate condonādum ſtatuatis. Cùm benigniſsimus cunctarum rerum parens atque largitor Deus, quē ueteres, ut plurimùm, Naturam nominarunt, duabus partibus, uelut dotibus maximis, hominē donauerit: tum egregias in eo ſtudiorū & uirtutū facultates

cultates ingenerauit, quibus nō modò uictum, uerùm etiam uitam honeſtè propagaret. Etenim ſi quaſq; tum corporis, tum animi uel minutas particulas perſcrutari uelimus, nullā haud dubiè ui ad agendum aliqua uacuam ac inertē reperiemus. Quæ ratio unūquēque admonere debet, ut cùm à Deo corpus & animum, tāquam agrum diligenter excolendum acceperit, ita ſe in eo & ſeipſo exerceat, ut copioſiſsimos atq; uberrimos fructus domino exigenti cū fœnore remetiatur. Quid enim turpius, & nomine humano indigniꝰ fingi poteſt, quàm ut in iſto communi theatro uitam abſque opere, abſque cura, abſq; officio, deſidem, liberam & otioſam more belluarum ſilentio tranſigamus? Equidem mihi perſuadeo Auditores grauiſs. optimè quondam in Græcorū ciuitatibus obſeruatum, id quod à Dracone primùm dicitur fuiſſe ſancitū, τοὺς τῆς ἀργίας ἁλόντας ἀποκτεῖναι· quę lex etſi paulò aſperior uideretur: tamen cùm eam Solon mitiſsimus corrigebat, otij cōuictis ſempiternam infamiæ labem reſeruauit. Illud nempe legiſlatores ſapiētiſsimi multo uſu compertum habebant, ignauiam omnium flagitiorum eſſe illecebram, quia

ſi

ſi quiſpiam nihil ageret, de malè agendo eum cogitare oporteret. Quamobrem in noſtra quoque Rep. quæ partim ex Athenienſium & Romanorum moribus compacta, partim ſalutaribus Regũ Chriſtianiſsimorum conſiliis ſtabilita & corroborata fuit, eam hodie uiuendi formam retinemus, ut alij aſsiduo in artificio atque opere uerſentur, alij diurnis nocturníſque pro ſalute ciuium ærumnis crucieẽtur, pauci omnino ceſſatores inueniantur, niſi fortè barbari quidam & peregrini, qui in has imperij Gallici inuiolatas ſedes ſua nobis ueneficia, & fœdiſsima uoluptatum lenocinia inuexerunt. Sed ut externa prodigia relinquamus, in noſtro populo hęreamus, & quibus ſe maximè rationibus expolire didicerit, reuocata maiorum conſuetudine deinceps quàm fieri poterit breuiſsimè diſſeramus. Id enim mihi iam inde ab initio propoſitum fuit, ut pomeridiano huius lucis curriculo de gymnaſticis corporis & animi exercitationibus dicerem, ſine quibus nec Oratores facũdiam, nec Iuriſconſulti ſcientiam, nec Imperatores militãdi peritiam, nec hi deniq; Iatrogoniſtæ tantũ gloriæ ſcopum ullo modo contingere potuiſſent.

tuiſſent. Quocirca maiores noſtri, quorũ omnis ad ſalutẽ Reip. intenta erat ſolicitudo, illud imprimis accuratè obſeruari ſtuduerũt, ut perpetuis laboribus curíſq; adoleſcentes à prima ætate aſſueſcerent, quò & in exequendis negotiis prudentiores, & in perpetiẽdis periculis ualidiores atq; robuſtiores redderentur. At enim non iſta ueterum inſtitutio putãda eſt, ſed à Deo uniuerſis rerũ formis uel ab ipſa æternitate attributa neceſsitas, ut non tantùm homines & belluæ, uerũ etiam cætera muta atq; inanima muneris alicuius colendi efficiẽdiq́; gratia, nata & in lucem edita fuiſſe intelligãtur. An nõ uidemus in ordinatione orbium cæleſtiũ ſydera & ſtellas impulſu motuq́; indefatigato cieri: ſolem, lunam, reliquóſq; circulos perenni curſu incitari: nihil denique in cælo animaduerti, quod non celeritate mirabili conuertatur? Ac ut terra, quæ medium mundi locũ ambit, & in quam omnia grauiora relabuntur, ſuo pondere immobilis maneat: tamen perſpicuũ eſt ab ea fruges, & baccas, & pecudes, partim ad utendum, partim ad ueſcendum procreari: quę ſi nõ fodiatur, manuq́; & aratro diligẽtiſsimi agricolæ identidẽ ſubigatur,

gatur, nõ modò fructus nullos gignit, ſed arida quadã ſterilitate conſeneſcit. Ergo ſine motu & uſu terrã deteriorẽ fieri, aërem corrumpi, ignem extingui, aquam putreſcere iudicemus: Animal autem illud prouidum, ſagax, multiplex, acutũ, memor, plenum cõſilij & rationis, quem uocamus hominem, præclara conditione à ſummo Deo generatũ, inertia & deſidia torpere cõcedemus? Alia fuit Laconum iuuẽtutis inſtruendæ diſciplina, apud quos tanta exercitationis cura ſuſcipitur, ut in niuibus rigere, in montibus ſe uri, ſiti & inedia tabeſcere, cæſtibus contundi citius patiantur, quàm uel dolorẽ, uel laborem moleſtum eſſe fateãtur. Id quod iidem pariter in fœminas tranſtulerunt, quas non, ſicut aliis in urbibus, molliſsimo cultu parietũ umbris deliteſcere, ſed in palæſtram, in ſolem deſcẽdere frequenter uoluerunt, ut paulatim aſſueſcentes, quoddam labori callum obducerẽt. Eodem modo Perſarum iuuenes in uenatione, feríſq; perſequendis & figendis exercebantur, ut hac proluſione cõdiſcerent, quales ſe in hoſtili prælio exhiberẽt. Quid uerò Athenieſes & alios Græciæ populos commemorem? Etenim cùm multa

multa à Solone Athenienſium ciuibus ſapientiſsimè tradita, tum nihil unquã conſideratius inuentum fuit, quàm illæ gymnaſiorum antiquiſsimæ leges, quæ totã informandæ adoleſcentiæ regulã formamq́; continebant. Hinc paucis, pòſt, tẽporibus effectum eſt, ut Græcorũ culta gens & expolita nationes exteras meritò barbaras nominaret, eáſq; omni pacis bellique, literarum & armorum gloria ſuperaret. Hinc Miltiadis trophæa, Themiſtoclis triũphi, Demoſthenis flexanima oratio, Iſocratis iucũda ſuauitas, ac innumerabiles in quoque ſcientiarũ genere uiri excellentes prodierunt, qui niſi ſuas ad diſcendũ faces poſteris prætuliſſent, etiãnum illorum mentes denſiſsimis inſcitiæ tenebris obuolutæ iacuiſſent. Solon igitur, ut ad inſtitutũ reuertamur, puerorum educationem matribus, nutricibus & pædagogis componendã permittebat, ut ſimul cum lacte humanioribus diſciplinis imbuerentur: deinde ubi iam grandiores adoleuiſſent, eos ſolidioribus Philoſophiæ cibis ali, uiciſsimque luctatione, curſu, ſaltatione, diſco, iaculo agitari præcipiebat: qua ſedulitate animi ſolertiam açui, & uitia corporis emendari
poſſe

poſſe confidebat. Sic enim ſolent agrorum cultores tenellas & humiles plantas contegere, nonnulliſque circùm præſidiis munire, ne uenti cælique uiolentia confringantur: at ubi iuſtum incrementum ac robur collegerunt, luxuriantes ramos amputant, ipſaſque radices quibuſlibet iniuriis & tempeſtatibus concutiendas obiectant. De quo legiſlator pleniſſimè apud Lucianum cum Anacharſide altercatus, duas præſertim huiuſce rationis utilitates explicauit: unam, quòd exercitati iuuenes quælibet diſcrimina intrepidè adirent: alteram, quòd & proſpera diutius ualetudine fruerentur, & morbos ocyus à ſuo capite propulſarent. Quòd ſi medico mihi more philoſophari, & uobiſcum pauliſper ratiocinari liceret (id quod in lectiſsimo ἀρχιάτρων conſeſſu non audeo uindicare, ne geſtũ agere tot in ſcena Roſciis ſpectantibus arrogans & inſolens uideatur) quod quæſo, Aud. grau. morbi genus graſſari poteſt, quod non humorũ redundantiæ & peccato imputetur? Vnde autem iſtud uitium aut in quibus potiſsimùm hominibus deprehenditur? Vtrum in baiulis, operariis, & laborioſis artifici-

bus? An non crebrius in locupletioribus, qui uitam ſedentariam degũt, lauto uictu, neque moleſtiam, neque pondus ullum experientes? Itaque mihi aliquãdo rimanti, & mecum animo penitius reputanti, quamobrem illi ſucco integro & æquabili ſanitate recrearentur: iſti quotidianis penè morbis conflictarentur, talis demum ſuccurrit ratio, quòd exercendo inanes ciborum reliquiæ cruditatéſque diſſiparentur, non multò ſecus, quàm ventilando paleis & lolio triticũ perpurgaretur. Plato, poſtquam libris νομοθεσίας de gymnaſio utrinque multa quæſiuiſſet, lege poſtremò cauit, ut publici à ciuitate magiſtri conducerentur, qui pueros & puellas, viros & matronas, omnes iaculandi, equitandi, præliandi ſpecies, technáſq; edocerent. Nam præter quòd ad bellum poſteà paratiores futuri eſſent, tum, ſicut in Timæo apertè loquitur, nullam ægro corpori medicinam motu gymnaſtico ſalubriorem poſſe adhiberi exiſtimauit. Quare Græci, qui non paruos inde fructus decerpi, ſuæque genti maximam apud vicinas authoritatem conciliari videbant, de populi & optimatum conſilio ſanxerunt, ut ex xyſto in arenam, ex

præludio

præludio in certamen res ipſa deueniret. Hinc illi Olympiorum, Pythiorum, Nemeorum, Iſthmiorum quatuor ſacri ἀγῶνες inualuerunt, & quinto quoque anno per quinque dies continuos ingenti celebritate conſtitui cœperunt, qui olim ab Hercule, Apolline, Ophelte, Theſeo excogitati ferebantur. Hinc Athletæ, pugiles, curſores, quinquertiones, & ij quorum opera in pancratio conſumebatur. Quem poſteà morem aſſerentes Romani, cùm pleraque de libris Solonis & Lycurgi ſuas in tabulas tranſtuliſſent, tum ludis publicis cauea circóque diuiſis, corporum certationes lucta, curriculíſque equorum, & pugilatiore fieri permiſerunt. Sed hoc tamen inter illos interfuit, quòd Athenis ingenui adoleſcentes ad Reip. ſalutem liberaliſsimè inſtruerentur: Romæ, ſerui ad multitudinis libidinem crudeliſsimè deuouerentur. Quid autem de nobis, Aud. grau. & de noſtris contentionibus dicam? Vtrum tale quiddam ab antiquis mutuati ſumus, an uerò nouam exercitationis formã noſtris moribus & ingeniis conueniẽtem effinximus? Etenim cruẽta ſpectacula, qualia Romanorum nonnulla memorantur, conſul-

tiſsimis Pontificum & Imperatorum decretis abrogari diuina & humana iura teſtantur. Extat ſuper ea re Imperatoris Cōſtantini edictum, quod Gregorius Papa Lateranenſi concilio his uerbis promulgauit, ut ſi quis in ſtadio ſaucius animam efflaret, quãuis pœnitentiæ locum relinqueret, ſolenni ſepultura interdiceret. Quocirca quinquennalium Græciæ ludorum, & gladiatoriæ Romanorum palmæ nomina iam dudũ obſoleuerũt, niſi quòd adhuc in Italia, quia domicilij ueteris imaginem quàm proximè ſtudet æmulari, milites cũ tauris & ſylueſtribus feris interdũ ad proluſionem committuntur. Nos uerò longè mea quidem ſententia, prudentius hominum & belluarum coniunctionem reiecimus, ne impium foret ut ea inter ſe à nobis copularentur, quæ præpotētis Dei æterna prouidentia remotiſsimis interuallis diremiſſet. Quid ergo? Nos cæteras reip. adminiſtrandæ leges à ueteribus depromptas habemus, hanc de adoleſcentum gymnaſiis, omniũ Solonis maximè neceſſariam interire patiamur? Nō eſt ita, Aud. grau. quod etſi priſcarum exercitationum forma temporis longinquitate obliterata ſit, nihilominus

hilominus exemplum uſuſque retinetur, & nihilo ſegnius apud Gallos, quàm apud Græcos iuuentus ad arma & laborem promouetur. Nam ut adoleſcentes de plebe, & illorum conſuetudinem prætermittam, an eſt ulla dimicationis ratio, in qua nõ ij ſtrenuè torqueãtur nobiles liberi, qui apud Regem & Principes educãtur? Qui ſimul ac per ætatẽ onus ferre poſſunt, ad luctãdũ, curſitandũ, uenandũ, ſaltandũ, digladiandũ, equos domandos, arma tractanda, & ad omnes pugnarũ euentus aptiſsimè erudiuntur. Quin etiam ſiquando à bello uacare, ſepultis Regum diſsidiis, contingat, ne feriando cuiuſquam nerui elangueſcãt, confeſtim carceres eriguntur, in quibus & ad uirium oſtentationem, & ad illuſtrium uirginum demerendam gratiam non minus animosè concertant, quàm ſi odio ſtimulati cum hoſte in aciem, rerúmque ac capitis diſcrimen deſcendant. Quanquam ea metarum lex eſt, & ſeueriſsimè deſcripta conditio, ut ab equitibus manum cõſerturis ſimultatum aculei deponantur, ut uindictæ cupiditas exuatur, ac ſi quid alterutri ex duello aduerſi euenerit, alteri ſine offenſione remittatur. Atque hæc ſunt

uſitata noſtris Principibus præludia, non ualde ab Athenienſium ſpatiis & quinquertio aliena, certè ad robur, & ad ualetudinem etiam aliquanto commodiora. Supereſt pila trigonâlis, de qua nonnihil ſubiicere meditabar, quoniam à Galeno quamplurima, quæ in dies experimur, de illius uſu enarrantur: ſed ad ea mihi ſentio eſſe properandum, quæ de ingenij curriculis me ſecũdo loco complexurum pollicebar. Enimuero, Aud. grau. hæc ut ego ſpiritu quamliberrimo agere, & uos ſine ſatietate attendere poſsitis, neceſſe eſt mihi aliquam quieſcendi poteſtatem tribuatis, ſimulq́ue uobis ipſis tædii reficiendi ſpatium tempúſque aſſumatis. Cæterùm orationi meæ, quoad licebit, in poſterum moderabor, & quæ de animi commentationibus perſequi uerbis amplíſsimis comparabam, paucis perſtringam, ac in laconiſmum contraham, ut quamprimùm (quod permulti ueſtrûm deſiderãt) octodecim Iatrogoniſtas in puluerem emittamus, in eorúmque perſonis & maiorum ſapientiam, & noſtrorũ hominum induſtriam cum admiratione contemplemur. Non ſine cauſa priſci Athenienſium

&

& Romanorum populi tam ſedulam in corpore conſtituendo diligentiam adhibebant, ſiquidem diuinus Plato rectè σῶμα, quaſi ψυχῆς σῆμα, tumulum animi, & receptaculum interpretetur: ac in eo multa latere, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant Medici Galeno ſibi authore ſuſpicentur. Sed tamen cauendum eſt ne tantoperè domicilio ſeruiamus, ut domini, hoc eſt animi, curam deſeramus: quam in partem grauiſsimè peccant, qui plus æquo in cute ſaginanda occupati, & genio indulgentes corpus magnificè ueſtiunt, molliter nutriunt, ab iniuria tegunt & cōſeruant, interim de animi pabulo nihilo plus anxij, quàm ſi ſe totos ex carne & oſſibus compactos, & ad mortalitatem natos, brutíſque non abſimiles arbitrarentur. Contrà cùm duas in nobis naturas, terrenam unam, cæleſtem alteram agnoſcamus, neutri propemodum addicti obſequamur, uerùm tempus & facultates ita partiamur, ut utrique, quantùm exigit, neceſſaria æquabiliter prouideamus. Corpora contentiones moderatas requirunt, nimia defatigatione ingraueſcunt: animi autē quò ſæpius mouentur, eò magis nitēt

atq; reficiũtur. Nunc ergo, Audito.grau. repetamus ætatis illius memoriam, cùm primùm diſciplinæ ex lethæa obliuione, profundiſsimiſque barbariæ ſepulchris in lucem excitæ feruntur. Quo tandem modo maiores noſtri rem tantam & tam arduam perficere, aut qua ratione poſteris ad diſcẽdum uiam tot ſeculis intercluſam, tot mæandris intricatam aperire potuerunt? Poſtquam igitur artibus inueniendis obſeruatio dediſſet initium, nihil non limatum & abſolutum conſequuta exercitatio dicitur peperiſſe, quando in ſingulis rebus quid optimum eſſet, quid contrarium, quid ſalutare, quid inimicum frequens uſus, multáque conſideratio diſtinxiſſet. Ita, quantùm augurari licet, quondam homines cõgregati in publicum coibant, & de iis, quæ tum occaſio, neceſsitáſque offerebant, inuicem colloquentes ex uariis controuerſiis in eam demum ſententiam recidebant, quæ ſapientum iudicio probaretur. Quibus principiis altius prouecta ſcientiæ cupiditas, rerum plurimarum obſcuras, nec ſatis compertas intelligentias enodauit, cùm ad ueritatis diſquiſitionem coniuncta ſolertiæ ac laboris

æmulatio

æmulatio acceſsiſſet. Erãt tunc Græci præter cæteras gentes cognitionis ardore inflammati, & inſuper otio abundantes, & ad percontandum laborioſi, & ad inueſtigandum prompti atque perſpicaces. Ex quo breui tempore tam multiplici doctrina præſtiterunt, vt Appollinem & Mineruam cum uniuerſo Muſarum & Charitum choro cælitus recepiſſe viderentur. Socrates enim continuò philoſophiam in domos introduxit, à quo infiniti auditorum greges profecti, quòd ex eius uariis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus, alii aliud apprehendiſſent, diſsidentes inter ſe multúmque diuiſas opiniones proſeminarunt. Cúmque nemo non eſſet, qui non modò ſententiam ſuam arctiſsimè tutaretur, uerumetiam publicè palámque proclamaret, diuerſæ philoſophantium ſectæ profluxerunt, quod alij Academicorum nomen ucnarentur, alij Peripateticorum familiæ adſcriberentur, nonnulli Epicureorum lautitias amplexarentur, plures pro Stoicorum auſteritate propugnarent. Inde Ariſtotelis Lycium, Platonis Academia, Zenonis porticus, Epicuri hortuli, quatuor principes doctorũ offi-

officinæ extiterunt, in quibus adoleſcẽtum ingenia tantum diſcrepando meditandóque acuebantur, quantum palæſtritarum corpora quatuor ludorum frequentatione caleſcebant. Atque ut athletarum, ſic philoſophorũ gloria ab humili ad ſummum perducta, & Athenæ non minus horum, quàm illorum celebritate inſignes claræq; floruerunt, donec Romani peregrinæ nobilitatis inuidi ſeſe ab armis ad quietem toto conatu retulerunt, & hãc quoq; Græcorum laudem, ſicut reliquas omnes, in ſuã vrbem inuexerunt. Quod quidẽ eò facilius cõſequi potuerunt, quò Athenis ſtudia doctrinæ, quæ antea eruditiſsimorum diſſenſionib9 uiguerãt, languidius, negligentiúſq; tractabantur. Quis enim dubitet Mineruã ciuitati ſuæ infenſam nõ idcirco in Latium cõmigraſſe, eáſq; ſedes appetiuiſſe, ubi homines deſiderio diſcendi tenerentur? Sed quorſum hæc diſputo? quorſum? Vt intelligatis, Aud. grau. his in terris Muſas humaniores reſediſſe, in quibus exercitatio ſtudiũq; impenſius colebatur: ab illis profugiſſe, ubi animorũ diſceptationes frigere, & ad nihilum breui relapſuræ uidebantur. Itaq; apud Romanos

tandiu ſcientiarũ decus dignitáſq; permã-ſit, quandiu per ſeculorũ calamitatẽ, infe-ſtámq; poſterorũ crudelitatem ſaluæ leges armáq; ualuerunt. At uerò nouiſsimis im-perij tẽporibus, cùm potentia Italici nomi-nis ſimul & ciuiũ induſtrię artéſq; inclina-runt: ſiue in omnibus rebus id uiciſsitudo ferat, quod de Athletis ſcribit Hippocra-tes, ὅτι οὐκ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον: ſiue ꝙ Gothi & Vandali, po-puli poſt orbẽ conditũ perditiſsimi, cuncta Italiæ tabularia, quæ plena erant librorum & bonarũ literarum, funditus incẽdio de-leuerũt. Ex quo barbaries latiùs diſsipata, maiorum mentes per multos annos uelo ignorationis occæcauit, donec Chriſtus humanę cęcitatis miſertus, quoſdã de Grę-corũ reliquiis ſuſcitauit, quorũ auxiliis di-ſciplinæ à Gothico naufragio enatarunt, ſenſimq́; iucundiſsimũ terris fulgorem o-ſtenderũt. Quod quẽadmodum acciderit, quî etiã Academia, quæ Athenis primùm Romęq́; fuerat, ea deinde in Galliã tranſla ta ſit, ſigillatim exponerẽ, ni me iandudũ ueſtrę aures audiendo defeſſę ad alium ſer-monem inuitarẽt. Dicerem, Aud. grauiſſ. ut ſuaſore Alcuino, Rabano & Albino ad-

iutoribus

iutoribus, Carolus ille magnus tria publica gymnaſia, Bononiæ, Papiæ, Lutetiæ fundauerit: ut in Græcia ſcholarũ loco cœnobia extruxerit: ut poſteà eius uirtutẽ alij Reges inſequuti Pariſiẽſem Academiã maximis beneficiis & priuilegiis cumularint: ut denique Franciſcus Valeſius ſcientiarũ parens & alumnus extiterit, ut libris ubique conquiſitis, & doctoribus ex tota Europa conductis, altiſsimo Muſas faſtigio collocarit. Dicerem inquam, Auditores, quis ſtatus Academiæ, quæ regula gymnaſiorũ, quæ facultas profeſſorũ, quæ audientiũ docilitas, cuncta deniq; locorum inſignia denotarẽ. Quid eſt enim perinde hoc conuẽtu ſilentioq; dignum, q̃ ut mecũ res Frãcicorum Regum præclarè geſtas recolatis, quorũ inſtitutis ex immani agreſtiq; feritate ad humanitatem mãſuefacti atq; mitigati fuiſtis? Hęc uerò ut omittam, & in ueſtris iudiciis mentibúſq; relinquam, nõ eſt tamẽ prætereundũ, ut in hoc pariter exercitationis genere noſtri homines cũ ueterũ moribus mirificè cõſenſerint. Conſiderate igitur, & id quod leuius cogor percurrere, intimis cogitationibus uobiſcum reputate, profectò uos cũ antiquis neſcio qua ſimilitudinis

tudinis affinitate copulatos eſſe ſuſpicietis. Athenienſes ad corporis temperationem quatuor ſtadiorũ ludos aperuerunt : iidem ad ingenij curricula quatuor philoſophorum ſectas adiunxerunt , illud fortaſſe attendentes quòd corpora quatuor elementis & qualitatibus cõſtarent : animi quatuor uirtutibus dotibúſque reniterent. Nos autem parùm ab illis in iſta gymnaſiorũ deſcriptione diſcordantes, Academiam quatuor ordinibus, Præceptorum, Medicorũ, Iuris Põtificij conſultorum, Theologorũ: quatuor ſcholis, Frãcorum, Picardorum, Germanorum, Normanorum cõſtitutam & ordinatam tenemus: cuius inſuper quatuor deſcriptores ab illo imperatore Carolo delecti in Annalibus numerantur. Quæ cùm attentè accuratéque perpendo , nunc demùm credere incipio quod uix mihi anteà perſuadebam , non temerè quadratam figuram & numerũ à Mathematicis , quadratum corpus à Medicis, quadratam perſonam à vulgo, quadratum deum à Poëtis, quadratam ab Oratoribus dictionem crebro ſermone uſurpari. Ineſt enim tetragono ea præſtantia , ut quancũque in partem uoluatur, ubique ſui ſimilis ſubſiſtat : unde

certo

certo conſilio quæcunque in natura excel-lũt, Deus per quatuor deſignari, quin & ſe ipſum quatuor literis apud omnes nationes enunciari uoluerit. Quapropter, Auditores grauiſs. nunquam me iſtius quatuor menſium operæ pœnitebit, nunquam ego uanas lucubrationes appellabo, quæ in Iatriorum & Iatrogoniſtarum dimetiẽdis ſpatiis mihi hactenus effluxerunt. Nam ſi Homerum minimè tædebat in Vlyſsis erroribus totam ætatem contriuiſſe, ſi minimè Virgilium Aeneæ profectiones decennium perluſtraſſe, ſi denique omnis ſcriptorum induſtria in paucorum commendatione poſita eſt, quid me puderet in octodecim quadratorum uirorũ præconio uerſatum, priuata ſtudia breue ad quoddã tempus intermiſiſſe? Fuerint hæc ueterum miracula ut Aeneas armis Italiam penetrarit, Vlyſſes diſiunctos Oceani ſinus traiecerit, Hercules duodecim monſtra ſubegerit: fuerint, inquam, hæ illorum laudes quòd uitam in labore, ocium in honore traduxerint: Hiero, Theron, Ageſilaus, Diagoras, aliique quadrigarũ uictores à Pindaro decantẽtur: Socrate, Platone, Ariſtotele, Zenone, nobiliſsimis philoſophiæ coryphæis

Græcia

Græcia quantumlibet inſoleſcat. Nunquã meherculè conuictus adducar, ut non iſtos Iatrogoniſtas antiquorum principibus & acumine ingeniorum, & utilitate ſtudiorum, & magnitudine officiorum anteponam. Hîc ſunt qui Platonis diuinitatem, Ariſtotelis flumen aureum, reliquorũ contentiones non ſolùm adæquarunt imitando, ſed etiam uicerunt ſuſtinendo. Vidiſtis Auditores grauiſs. per hoſce annos Iatrogoniſtarum dimicationes, non quinq; dierum, quales Græcorum pugilum: non ſub umbra & porticu, quales philoſophorum fuerunt: ſed in oculis ueſtris unius biennij ardentiſsimas diſſenſiones uidiſtis. Quàm ſæpè illos in hoc Iatrico ſtadio vultu cunctíſque artubus deſudantes, ueteranorum imperatorum telis appetitos, propriis ſeſe uiciſsim armis laceſſentes, omnium haſtis oppreſſos, fortiſsimè tamẽ clypeis obſiſtentes ſpectando dubitaſtis, utrum illorũ fortunam potius miſerari, an uirtutem admirari deberetis? Quàm ſæpè illos honeſto puluere ſordidos, gradu geſtuque languidos, prælij diuturnitate confectos, lætitia nihilominus exultantes, & magnitudinis ſuæ conſciẽtia triumphãtes ueſtro applauſu de-

ſu de-

ſu decoraſtis? Equidem cùm freques hiſce ſpectaculis intereſſem, & aſtãtium rumuſculos interdum ſubauſcultarem, memini tantoperè iſtos prędicari, ut omnis memoriæ, omnium gentium, omniũ ſeculorum clariſsimi palæſtritæ confirmarentur. Quamobrem cùm Iatrodicæ, qui magno numero his in ſubſelliis aſsidẽt, ſuos Athletas ſatis ſupérque tentatos, & uirorum grauiſsimorum iudicio abundè probatos eſſe comperiſſent, ut iam uindicarentur, ac in magiſtrorum honorarium ordinem tranſirent, ab Agonotheta uno uniuerſi ore flagitarũt. At ille, ut æquiſsimus ſemper fuit laborum iudex & æſtimator, ſtatim decreuit, ut per me octodecim Iatrogoniſtæ ad certum locum diémque congregati prætéritæ altercationis immunitatẽ præmiumq; repoſcerent. Ego itaque, Aud. grauiſs. ne creditam prouinciam deſeruiſſe, ne cuiuſquam authoritatem illuſiſſe, ne ueſtræ uolũtati uidear defuiſſe, Iatrogoniſtas ſingulatim nominabo, & cùm primùm animam uiréſque collegero, complectar breui quid in unoquoq; eximiũ ſit, quamobrem publica laurea, totius integerrimi conuentus approbatione donari mereatur.

ORA-

ORATIO SECVNDA.

ETſi nemo ferè non ad otium & quietem omnes cogitationes intēdit, mihi tamen perbeati fuiſſe uidentur, Aud. grau. qui ab ineunte adoleſcētia genus uiuendi laborioſum ſortientes, in eo ſuſtinendo & prudentiæ ſuæ robur oſtentare, & animi conſtantiam retinere potuerunt. Etenim nihil eſt in natura, eorū quæ ſingularis beneficij loco expetuntur, quod aut generis nobilitate, aut fortunæ opulētia, aut corporis uenuſtate adipiſci ſoleamus: uerū ut paupertati & diuitiis æqualiter ad honores uia pateret, Deus cùm præclara omnia nobis uenalia exponeret, ſolum laborē coëmendæ poſſeſsioni pretium aſsignauit. Ita fit ut niſi connitatur, fruſtrà quiſquam ad ullum excelſæ laudis uerticem putet aſcendere: at qui rationes, quæ aliquò ducunt, diligentiſsimè inueſtigat, tandem eò ſe peruenturum confidat, & poſtquam radices amariſsimas guſtarit, fructus dulciſsimos percepturum. Vlyſſes multis magníſque regionibus uagatus, pa-

triam & vxorẽ recuperauit: Aeneas, terra maríque uexatus, Italiam occupauit: Argonautæ fluctuum & uentorum procellis conflictati, ad littus aurei uelleris compotes applicauerunt: Athletæ decurſis palæſtræ ſpatiis palmam uictores retulerunt: denique nullus unquam intentius aſpirauit, quem non poſtremò fœlices ſucceſſus incredibili lætitiæ uoluptate recrearint. Quamobrem Iatrogoniſtis omnibus (iam enim ad illos mea pertinet oratio, ut à quibus perorãdi occaſionem, ab iiſdem etiam agendi exordium nanciſcatur) imprimis gratulor, lætórque quòd maximis ſuis periculis & laboribus defuncti, eum doctrinæ ſcopum attigerunt, in quo ampliſsimam famam cum placidiſsima tranquillitate cõiunctam reperiſſe uideantur. Nam ſi quis eſt, Aud grau. qui minorem laudem exiſtimet Medicos nominari, quàm aut Athenis Olympionicen fuiſſe, aut Romæ triũphantẽ, uehementer errat, propterea quòd illorum gloria ex incerto plebis applauſu naſcebatur, & cum eo quàm citiſsimè euaneſcebat: iſti autem firmiſsima grauiſsimorum uirorum approbatione decorati, ſibi prætereà honorificam, & quampluri-

mis

mis ſalutarem induſtriam artemq́ue peperunt. Etenim licet Medicina tunc cùm adhuc eius vis ignorabatur, & liberales diſciplinæ barbaris populis ſordeſcebant, ubique terrarum exagitata, uix ubi conſiſteret ſedem obtinere potuerit, nullam tamen eſſe opinor ſcientiam, aut uberius hoc tempore tractatam & limatam, aut in diſcendo iucundiorem, aut in factitando magis exigenti frúctuoſam, minúſque authori periculoſam. Idq́; ut apertè manifeſtéque cognoſcatis, longius paulò ab eius antiqua origine ac inuentoribus principiũ rei demonſtrandæ accerſam: quod quæſo, Aud. grau. ne moleſtè patiamini: principiis enim cognitis multò facilius extrema intelligetis. Atenim ego illud conficiam, & prima incunabula Medicinę indicabo, quæ priſcos homines iſtarum rerum perſpicaciſsimos indagatores latuerunt? Nam ut omnes ueteris memorię ſcriptores iſtius diſciplinæ inuentionẽ Diis immortalibus uno conſenſu aſcribant, nihilominus de certi parẽtis nomine diſsident inter ſe atq; diſcordant. Aegyptij olim artificio & ingenio principes, Mercurium apud ſe remedia ægritudinis excogitaſſe profitentur.

Vrgēt contrà Babylonij & Arabem ſuum Aegyptiis opponunt, ab eóque non ſolùm ſciētiæ indicium, uerumetiam perfectionem uſumq́; prodiiſſe, ac in omnium orbem terrarū exiiſſe affirmant. Græci uerò cum utriſque interdicto certant, & Athenas artium optimarum procreatrices nuncupari, ob idq́; Apollinem, Chironem, ac Homericos heroas Podalyrium & Machaonem curandi opifices atque magiſtros extitiſſe iuſto ſacramēto cōtendunt. Quæ tota controuerſia inde potiſsimùm ſerpſit, quòd cùm illi de gloria inuicem diſceptarent, ſuam gentē ut imperij amplitudine, ſic literarum & ſtudiorum elegantia ſuperiorem exiſtimari uolebant: neque idcirco de artibus tantùm, ſed pariter de ſcriptoribus magnoperè diſcrepabant, quandoquidem eorum, qui aliqua laude illuſtres fuiſſent, ortum noménque ſibi certatim vendicabant. Legimus Homerum, quia Poëta diſertiſsimus fuiſſet, à quatuor ciuitatibus poſt mortem adoptatum, & tam mirificè quōdam expetitum, ut Colophonij ciuem eſſe ſuum aſſererent, Chij refragarentur, Salaminij repoſcerent, Smyrnęi cultu ſanctiſsimo uenerarētur. Ego autem de

de Medicina diu multumque percontatus animo cruciabar, ſanéque metuebam ne id ſtultũ haberetur, quòd de artis initio hæſitarem, de qua ſentẽtiam ex profeſſo explicare ſuſcepiſſem. Quocirca ſatius eſſe duxi ut omiſsis altercationibus, quæ plus acutæ ſubtilitatis, quàm ſolidæ frugis continerent, Medicinæ inuentum diuino beneficio tribuerem, incrementum & abſolutionem maiorum ſolertiæ ſtudiiſque concederem. Sic enim ſe res habet, Aud. grau. Deum baccas, herbas, ac plantas humo excitaſſe, iiſque aduerſus morbos uires propitias indidiſſe, quarum pręſidio mortaliũ ſalus integra cõſeruaretur. Græci ea ſeminaria primùm dicuntur obſeruaſſe, detexiſſe, ſubegiſſe, atque ad extremam maturitatem prouexiſſe. Etenim antequam ulla Medicorum mentio in cæteris prouinciis audiretur, Aeſculapius totam illam rationem, quæ ſub Apolline nata credebatur, paululùm erexit, & in Græciam ingenti ciuiũ admiratione introduxit: Cuius duo filij Podalyrius & Machaon ſub Agamemnone Troiano bello merẽtes nõ mediocre ſuis cõmilitonibus ſolatiũ attulerunt. Atque iſta quidem Medicinæ fundamenta

ſummatim memorantur, quæ deinceps Aſclepiadæ longo interuallo neglecta & labentia reſtituerunt. Interim uarias miſeráſque uices Medicina tolerauit, & partim belluina populorum immanitate, partim factitantium pernicioſa ignoratione circūſcripta, falſis calūniis laborauit, quouſque Hippocratis patrocinio tam officioſè defenſa eſt, ut denuò ſuæ integritati fidem fecerit, & prius amiſſam ciuitatis ac libertatis uſuram impetrarit. Nam etſi ante Hippocratem quorūdam Medicinæ artificum antiquitas meminiſſet, nōdum tamen certis diſciplinæ legibus cōſtabat, non ex theorematis & præceptionibus, tum ueris, tum utilibus, tum mutuo inter ſe connexu hærentibus erat conſtituta, ſed rudia quædam & confuſa eius rudimēta in templo Dianæ inſculpta Epheſi uiſebantur, quæ uerius ἀτεχνίαν, quàm ullum ſcientiæ ueſtigium redolebant. Verùm Hippocrates ubi totum adoleſcētiæ curriculū Athenis exegiſſet, deinde multam experiētiam ex aſsidua inquiſitione, frequēti animaduerſione, ſeriiſq; doctorum colloquiis reportaſſet, demùm ætate confirmata cùm

animum

animum ad ſcribendum appuliſſet, ſparſa colligens, obſcura illuminans, nõnulla ex Philoſophorum libris aſſumẽs, cuncta ſuo ingenio iudicióq; diſtinguens, artem medicam luculenter definiuit. Cui poſteà ſexcentis elapſis annis Galenus ſuccedens con ſita ab eo ſemina gnauiter excoluit, quæ Diocles, Praxagoras, Chryſippus, Eraſiſtratus, Creon, Agrigentinus mutuis anteà diſsidiis infecerant. Cùm uerò propter conciſam ſermonis breuitatem multis nodis quædam documenta Hippocrates intexiſſet, alia non ſatis enucleaſſet, dilucida Galenus enarratione dilatauit, inchoata amplificauit, mutila ſuppleuit, ſeparata col ligauit, denique medicam ſcientiam, qualem nunc tenemus, numeris omnibus abſoluit. Habetis igitur, Aud. grau. artem maximam, à Deo tributam, ab Apolline & Aeſculapio indicatam, ab Hippocrate collectam, à Galeno illuſtratam, à noſtris autem Iatrogoniſtis ſic copiosè intellectã, ut certiſsima mihi ſpes oblata ſit, eos propediem ſplendidiſsimo eruditionis ſuæ ful gore veteribus tenebras iniecturos, uobíſq; & ueſtrę uitæ auſpicatiſsima poſthac adiumenta præſtituros. At dum iſta proximi

ſermonis fundamenta pono, ecce repentinis Pauſanię, Catonis, & aliorum μισιατρῶν rumuſculis inceſſor, qui obſtrepunt & obganniunt auribus meis, Medicinam olim exploſam, profugam, & ueneficii ab antiquis condemnatam. Quibus figmẽtis etſi res ipſa occurrit, & obtrectantium peruerſitatem cauſę bonitas euertit, paucis tamen arbitror reſpondendum, ut omni criminis ſuſpicione liberata, ueſtriſque ęquiſsimis iudiciis abſoluta ſaluam libertatem, ac ſartam tectam innocentiam tueatur. Habebũt igitur accuſatores quod eſt unicè huic hominum generi optandum, confitentem reum: ſed ita confitentem, Medicinam in eo periculo fuiſſe, in quo Eloquentiam, in quo Iuriſprudentiam, in quo cunctas humaniores diſciplinas. Quare prius de toto artium circulo loquãtur neceſſe eſt, quàm iſtius ullam culpam aut factum reprehendant. Nam ſi uniuſcuiuſq; rei pręſtantiam non ex ueritate, ſed ex opinione ac ſenſu metiãtur, quod ridiculum Epicuri dogma fuit, quid erit, cedo, in uniuerſa natura, quod ubique laudetur, quod omnium armis auxiliiſque protegatur? Nihil eſt tam honeſtum, quod non iniquitas oppugnet:

nihil

nihil tam inuiolatum, quod non malitia corrumpat: nihil tam religioſum, quod nō inuidia impietáſque labefactet. Quid? Romani ſub Conſulibus Medicos, ſub Tito Imperatore Oratores & Iuriſconſultos expulerunt: Lacedæmonij Muſis & Poëtis bellum facéſque indixerunt: Gothi & Vandali ne unam quidem literam in Italia ſupereſſe uoluerūt: nos Chriſtianiſsimis moribus legibuſque imbuti, obſoletam indigniſsimæ atrocitatis imaginē reuocemus? Porro quęnā ratio fuit cur Apollo in Deorum numero colebatur, eíque animæ in cælum remeantes pæana canere fingebantur: Aeſculapio gallus ales diei nuncius cōſecrabatur: Hippocrates immortalibꝰ Herculis honoribus afficiebatur: ab illis autem profecti diſcipuli Græcia excedere ſenatuſconſulto iubebantur? Quare Medicinæ præcepta uerè dici non poſſunt, ſi quæ inſcij imperitíque pro ſalutaribus mortifera cōſcripſerint, nec ſi pharmacis quidam ad aliorum perniciem abutuntur, totam continuò culpari oportet ſocietatē. Quotidiè Nautarum negligentia claſſes demerguntur, Imperatorum ignauia vrbes amittuntur, Patronorum inſcitia res & fortunæ litigantium

tigantium periclitantur, inteſtinis inſidiis Chriſtianæ pietatis præſidia opprimũtur: ergo nauigandi commoditatem improbemus, militandi neceſsitatem repudiemus, iuſtitiæ uinculum diſſoluamus, & illam animorum moderatricem, fidei cuſtodiam religionem abiecta & fracta mente perfidi deſeramus. Quocirca ſi res ipſas ex ſe, ac ex ſupremo Dei beneficio, nõ ex fallaci hominum ęſtimatione ſpectari neceſſe ſit, deſinant tandem ſceleratiſsimi calumniatorum greges cõtumeliis Medicinam aſpergere, pręſertim cùm nulla hodie ſciẽtia aut diſcenti delectationem & gratiam, aut populo utilitatem maiorem conciliare uideatur. Quę duo, quemadmodum antè inſtitueram, reliqua oratione docebo, ſi mihi à uobis, uti ſpero, eam quam ſoletis patientiam & benignitatem tribui concediq; ſenſero. Cùm igitur ita ferè uita mortalium cõparata ſit, ut (id quod eſt apud Ariſtotelem) πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει, profectò & ad eam cognitionẽ præcipuè incẽdimur, ex qua delectationis ſuauitas non minus quàm commoditatis fructus oſtenditur. Quòd ſi nulla exquiſitior & ſolidior uoluptas eſſe poſsit, quàm quæ

ex

ex honeſtiſsimis ſcientiis percipitur, de Medicina dubitare nõ conuenit, quin mirificas ſtudioſorum hominum ingeniis veneres ſuppeditet, neq; unquam acrioribus moleſtiis illorum aciem obtũdi corrodíue patiatur. Nihil eſt in animo, nihil item in corpore, nihil denique in omnibus, quę ad corporis & animi curam pertinẽt, diſciplinis, unde Medico uſus & iucũditas nõ accedat, ut quod ab Homero ſcriptum legimus, ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, id ita uideatur interpretãdum: Medicum cæteris artificibus nõ modò dignitate prę-ponẽdum, uerumetiam omni delitiarum genere ſuperiorem. Eſt enim Medicina nõ ſicut alię artes, exiguis limitibus & terminis concluſa, ſed ex cunctarum uniuerſa complexione coaceruata: ex quo cùm ſingularum rerum difficultatem ſuo ambitu conſtringat, ęquum eſt eam infinita uoluptate refertam abundare, ne diſcẽtium ſtudia contentione infringãtur, potiúſq; magnitudinem ſcientię ampliſsimo gratię & honoris inuitamento illecti amplexentur. Senſus, qui à Philoſophis interpretes ac nuncij rerum conſtituuntur, in pleriſque aut inanes & retuſi apparent, aut ad libidi-

nes & fœdiſsima quęq; facinora conferuntur. At quàm illorum accurata & perfecta in Medicis cenſura cernitur, qui auditu artem concipiunt, reliquis ſenſibus uſum & actionem exercent? Quàm enim illis immenſum ac iucundũ eſt, ut oculorum perſpicacitate qualíſnam ſit cuiuſque uultus, ſanó ne ſimilis an diſsimilis, primo ſtatim cõſpectu pręſagiant? ut ex odore uitiatáne ſit corporis temperies, an inculpata augurentur? Ex guſtatu quænam ſint alimenta & medicamenta benigna & familiaria, quę uerò nociua & peſtifera diſcernant? Ex tactu, abſtruſa pulſuum diſcrimina, caloris, frigoris, & aliarũ qualitatum diuerſas uires & receſſus, tum etiam ægrotantium inconſtãtes habitudines animaduertãt? Prætereà ut apes ex diſperſis hîc atque illîc floſculis fauos ad mellificium delibãt: eodem modo Medici ex ſummis quibuſque artibus gemmas ſeligunt, & in cumulum conglobatas ad ſuam rem, & ad humanę ſocietatis neceſsitatem depromunt. Nam & Arithmetica illi ad criticas initij, ſtatus, & declinationis morborum rationes utũtur: & ex Geometria de apta & cõcinna membrorum collocatione, decentíque figura
&

& æquabili proportione decernunt: & ex Aſtronomia ſtellarum motus & cōcurſus, aëris mutationes, Lunę incremēta & decrementa, cæleſtium aſtrorum ortus & occaſus obſeruant, pro quorum affectionibus inferiora animātium corpora gubernātur. Quid autem Philoſophia? Nónne & eius unguentis Medici quoq; noſtri perfundūtur? Etenim cùm tripartitò ipſa diſtribuatur, à prima parte compendiariam naturę morborum & ſanitatis inueſtigandæ methodum: Ab altera elementorum & qualitatum permixtiones, mutationum uiciſsitudines, & innumerabilia huiuſmodi hauſerunt: A tertia ægrotantium perturbationes regere, affectus ſedare, iram & dolores mitigare didicerunt. Omitto uniuerſam herbarum rationem, quæ quanta ſit, quámq; delectabilis, nullus, opinor, inficias ibit, qui admirandas earū proprietates mediocriter notauerit. Venio nūc ad illam, quæ Medico peculiaris conceditur, corporis humani fabricam, in qua cùm ſic attentè exactéq; uerſetur, ut intus & in cute ſeipſum & cęteros ſpeculetur, exprimi meherclè non poteſt quanto gaudio perfruatur, quātúmq; præſtantia cognitionis, atq;

uoluptate cũctos antecedat. Publius Africanus fingitur apud Ciceronem cum Scipione patruo cælũ,terras,maria,reliquáq;, unde generata, quò reditura,quando,quomodo peritura, quid in iis mortale & caducum, quid diuinum æternúmq; fuiſſet,per inſomnium perluſtraſſe. At re uera mihi uidetur Medicus ipſum ea moderantem & regentẽ Deum manu penè captaſſe, ad hæc Naturæ à cõſiliis & arcanis extitiſſe, cùm artificioſam corporis uniuerſi ſtructuram machinaretur. Nulla ſunt enim propemodum in hominibus organa,quorũ appellationes & munera non perſpexerit, unde ducantur, quò ferantur, quomodo cõnectantur, quibus ſubſidiis uſibúſq; applicentur. Quòd ſi Poëta iure illum fœlicẽ exclamet, qui latentes in rerum cauſas penetrare potuit, ô terq; quaterq; beatum Medicũ, cui nihil obſcurum, nihil reconditum, nihil omnino abſtruſum, quod non intimo artis & mentis acumine indagarit. Vulgus hãc molem temerè, tanquã ex Promethei luto cẽſebit eſſe cõflatam. Quid uerò Medicus? Certis mẽbris, debita ſerie poſitis diſtinctã, & iſta cõditione, ut lucẽ cibo, potione ſpiritu carperemus, effictã, in eaq; ingeniũ, ſicut ſimula-

ſimulachrũ aliquod dedicatũ reſpondebit. Interrogetur de populo quiſpiã quî nutritio fiat,& ex nutritione incremẽtũ & magnitudo ſtaturæ cõſequatur. obmuteſcet. At Medicus ſciẽter diſputabit datos idcirco dentes tũ aduerſos, tum genuinos, ut in os iniectam eſcã extenuent, quã deinde agitatione linguæ depulſam ſtomachus admittat, cui ſubiecta & inhærẽs aluus omne quod accepit, ſiue aridũ, ſiue humidum calore natiuo, quo multũ ualet, cõcoquat & cõfundat: demùm per quaſdã à medio inteſtino uſq; ad portas iecoris directas uias, atq; inde per uenam cauã ad cor eũ ſuccũ, quo nutrimur, iam coactũ cõfectumq; detrudat: qui deinceps à corde per uenas admodum multas in omnes totius corporis latebras & mẽbra diſpertiatur. Audiamus eundẽ de ſpiritu diſſerẽtẽ, ut aſpera arteria linguę radicibus annexa quaſi operculo tegatur, ne ſi quid in eã cibi fortè inciderit, ſpiritus impediatur: ut anima in pulmones liberè peruadat, ut inſita quadã in pulmonibus raritate, & aſsimili ſpõgiis mollitudine cordis æſtus ſpirãdo & expirãdo refrigeretur. Longum eſſet, Aud. grauiſs. reliqua corporis adminicula enumerãdo perſequi,

ſequi, quorum leuiſsimum maximas ad agēdū opportunitates habilitatéſq; uidetur obtinere. Natura oculos mēbranis tenuiſſimis ueſtiuit, & palpebris, ut muro interiecto circunſepſit, ut ſi quid impēderet prōptius declinarēt: celſos autē & ſublimes fecit, ut in cælū intuentes ſuæ cognationis & hæreditatis domiciliū recordarentur. Quā uerò conueniētes, quamq; multarū artium miniſtras manus impertiuit, facili porrectione & cōtractione digitorū, ad pingendum, ad fingendū, ad ſculpendū, ad cultus agrorū, extructiones tectorū, confectiones nauigiorū, tegumēta corporū, æris & ferri fabricā, cunctaq; & ad uſum neceſſaria, & ad ornatū decora humanæ uitæ inſtrumēta? Quæ quidē quantū negotij & operę faceſſunt, quò plenè planéque intelligantur, tantū iucunditatis ſemel explorata, perſpectaq; gignūt: adeò ut uerè Pulchra quę difficilia, ueteri Græcorū prouerbio celebrentur. Quapropter ſi ex Medicina oblectatio ſola peteretur, nihilominus hāc animi remiſsionē humaniſsimā ac liberaliſsimā iudicaretis. Enimuero præter dulcedinē infinita ex his ſtudiis emolumēta importātur. Ita fit ut eā ſcientiā exoptare, quòd diſcēdi ſitim

ſitim expleat, ſoleamus: cōplecti autē uel ideo debeamus, quia nō minus quàm aqua & ignis in eorū, ſine quibus ſalui eſſe non poſſumus, numero commodorum reponenda ſit. Inſpicite igitur, Aud. grau. Medicinæ utilitatē (dicam enim de ea poſtremò, quoniam beneuolè attenditis) & id quod breuiter loquar altiſsimis ueſtris mētibus commendate. Nunquam ſanè Metrodôrum philoſophum contemnendum exiſtimabo, quòd uitæ humanæ beatitudinem in firma ualetudinis conſtitutione, eiúſque conſtitutionis ſpe explorata putarit conſiſtere. Quid eſt ſiquidem homini, quandiu his uinculis, & hac lucis calamitate coërcetur, tantoperè deſiderandum, quàm perpetua ſine offenſione ualetudo? Nam dum nobis adeſt, facit ut opibus, familia, literis dulciſsimè oblectemur: ſi effugerit, omnia moleſto vultu & nauſeanti pectore, quanuis chariſsima reſpuamus. Quare ſi baiulos, fabros, architectos, ſutores, ſartores quotidiana mercede donandos ſentiamus, quorum induſtriæ abſque uſu ſanitatis inerti deſidia contabeſcunt: quo tandem loco Medicos ducemus? quo beneficio deuinciemus? qua beneuolentia

complectemur? quibus præmiis proſequemur? Illi ad uictum cõmoditates inſtruũt, hi ſalutis adiumenta miniſtrant: illi utilia, hi neceſſaria ſuggerunt: illi externa curãt, hi propiùs internorum ſatagunt: denique illi, ne uitæ opportunitates deſint, inuigilant, hi ut continenti tẽperatione fruamur, & viribus ad ſtabilitatem coagmentatis, & lacertis ad motum atque ad actionem expeditis. Fieri poteſt ut opere fabrefacto, & quamplurimis artificiis facilè careamus. Eleus Hippias cùm Olympiam ueniſſet, confertiſsimo Græciæ conuentu gloriatus fertur, nullũ eſſe non modò artis ingenuæ præceptum, quod ipſe neſciret, ſed annulum, quem geſtaret, pallium, quo amictus, ſoccos, quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. At quotus quiſque ſe ita neruis & artubus affectum uenditabit, ut Medici opem nullo tempore implorarit? Romani doctrinę iſtius oſores, Aeſculapij ſerpẽtem Epeiro ad ſæuientis peſtilentiæ perfugium accerſiuerunt. Gręci tunc cùm Imperio ſuo Medicos exterminabant, Hippocratis auxilium votis communibus popoſcerunt, ut pariter ingraueſcenti peſtilentiæ periculo eximerentur. Morbi non tantùm priuatim

tim ex ſanguinis corruptione, pituitæ affluentia & totius corporis conquaſſatione, ſed etiam ex polluto, atque contaminato aëre palàm graſſantur, quorum ſi lues euitari non poſsit, de illorum neceſsitate fateamur, qui neceſſariis incommodis medentur, proſperam ſanitatem inſtaurant, proſtratæ & diſiectæ opitulantur. Mirum eſt, Aud. grau. Chriſtum mortali ſpecie in terris degentem, nõ Imperatoris, non Senatoris, ſed unius Medici magnificum nomen aſſumpſiſſe, & hanc imprimis curandi rationem factitaſſe, ſuoque exemplo poſteritati commendatam uoluiſſe. Quin etiã familiaris quõdam & uſitata fuit Regibus medicina, ut de Sabor, Ginge, Sabiele, Mithridate, Hermete, Meſue, Auicenna hiſtoriæ teſtantur, qui omnes uiri principes medicam ſcientiã præcipuo munere coluerunt. Inſuper pleraque in hanc ſententiã de ſalutari Medicorum poteſtate commemoranda ſuperſunt: quæ quia in propatulo partim collocata, & in ore populi iactantur, partim etiam quia innumerabilia prolixiori narratione indigẽt, à me ſilẽtio tacitus inuöluũtur. Iam enim tempus eſt ut ad Iatrogoniſtas dirigatur oratio

 mea,

mea, propterea quòd eorum cauſa fuit elaborata, neque penitius diſciplinæ maieſtatem & excellentiam, quàm ex illis cōtemplari ac internoſcere ualeamus. Quemadmodum enim propter marmoreum Praxitelis Cupidinem, æreum Myronis Herculem, inſignem Zeuxidis Helenā, Coam Apellis Venerem, ſigna & tabulæ plurimi antiquitùs æſtimabātur: ita Medicinæ claritas in iſtorum fulgidiſsimis ingeniis ſole illuſtrius eluceſcit. Equidē dum in ſingulorū virtutes reſpicio, magis atque magis eius virginis generoſam pulchritudinē admiror, quæ tot támque præſtantes procos ex diſiunctis Academiæ ac literarum officinis congregatos in ſui amorem gremiúmque pellexerit. At uerò, Aud. grau. Deo immortali gratias immortales debetis, quòd in iſta corporum imbecillitate, æuíque inconſtantia & breuitate, tot ἰάσωνας, & Aſclepiadarum familiæ Antiſtites cælitùs uobis demiſerit, qui ueſtrum caput ab omni piaculo contectum, & à circunſtantibus iniuriis intactum defēdant. Querimur maiorum noſtrorum longam & fortunatam ætatem fuiſſe, noſtros homines uix ad ſexageſimum annum peruenire,

nire, atque hoc quãtuluncunque ſpatium mille cladibus ac ærumnis interruptũ eſſe, ſiue ob ingluuiem, ſiue ob ferculorũ lautitias, & epularũ condimenta, ſiue ob horribiles aſtrorum aſpectus, ac eorũdem ortus, eclipſium atque coitionum frequentatione deprauatos. Ego uerò mox uobis in mediũ producam aliquot Apollinis filios, Chironis & Muſarum alumnos, heroas orbi Gallico cõſecratos, qui aſsiduis uigiliis & indefatigata cõmentatione perfecerunt, ut publicis aliquando miſeriis prouiderent, & languentibus ægrotantiũ corporibus θεῶν χεῖρας, & præſentiſsima medicamenta adhiberent. Hercules de apro, leone, hydra ſuperbè triũphauit: Olympiorum curſores palmis nobilitati, pedum & equorum celeritate inſolentius exultarunt: Noſtri autem Iatrogoniſtę galea Medicinæ, velut Vulcaniis telis fulti, aduerſus inteſtinum Naturæ hoſtem audacter prorumpent, nulla non febrium & dolorum monſtra debellabunt, tota deniq; Pandorę ſentina Galliam inquinatam expiabunt. Pollent robore, fulgent conſilio, cunctas obſidendi, vincendi, obſiſtendi vias & inſidias callent, nulla unquam morborum

 con-

contumacia frangentur, nullo impetu cõtundentur, nunquam de ſuo honore & ueſtro capite deſperabunt. Quamobrẽ, Aud. grau. ſi Medicinæ facultas benigna & fructuoſa eſt, ſi cõſtãs corporis habitudo iucunda, uobis quoque in pretio illos eſſe cõuenit, qui ſcientiæ myſteria conſequuti, animo & armis perbellè inſtructi ex remotis Europæ regionib⁹ ad hoc pacis & quietis domicilium Lutetiam appulerunt, ut, quemadmodum mox ex illis cognoſcetis, ueſtram uitam malorum & calamitatum machinis interceptam quibuſcunque poſſent præſidiis, in poſterum duce Medicina, Deóque fœliciter auſpicante ſubleuarent.

ORA-

ORATIO TERTIA.

CVm multa diuinitùs, Auditores grauiſs. à maioribus noſtris ſapientiſsimis viris inuenta atque introducta ſint, tum nihil liberalius, quàm quòd in Repub. propoſitam in bene agendo mercedem eſſe uoluerũt, ut præſtantiſs. & clariſs. ciues, gratia officiorum inuitati, Rẽpub. ſtudio alacriore conſeruarent. Nullus eſt enim tam lubricus & ſublimis gloriæ curſus, quem non ſine cunctatione ingrediãtur, ſi aliqua præmiorum & celebritatis opinione pelliciantur: nullus contrà tam facilis & apertus labor, quem conetur quiſquam ſuſcipere, ſi fruſtranea & inanis in eo tolerando induſtria fore uideatur. Itaq; patres noſtri ſapientię iſtius maiorum ęmuli, ſe tum denique beatũ Imperiũ, & in Imperio uirentem Academiam habituros crediderunt, ſi ut quiſque optimè de literis & ciuitate meritus fuiſſet: ita ipſe à literatis & à populo ampliſsimè muneratus diſcederet. Quare Ducibus, qui rẽ bellicã foris adminiſtrãt, Regum ſtipendia numerantur: Ciuibus,

qui domeſticæ tectorum, templorum, vrbium cuſtodiæ præficiuntur, eorundē honores & magiſtratus mandantur. Quòd ſi uel in abiectiſsimis artificiis qui ſuam operam priuatis hominibus cōtulerunt, quæſtu mercenario locupletantur, quid de illorum diligentia ſtatuetis, qui totū ætatis, curriculum in literis elaboratum ſtudiosè tranſegerunt? Nam cùm ex iis, quæ ab ingenio pendent diſciplinis non modò uitæ componendę, ſed etiam gubernādæ Reip. præcepta requirantur, à quibus id cognouimus, quo cæteros præmiis donandos intelligamus, illis profectò ipſis, quātum eſt ſitum in nobis, & laudem & ornamentum deferre debemus. Quapropter cùm Iatrogoniſtæ noſtri, multis exantlatis laboribus Medicinæ faſtigium uictores aſcenderūt, & biennium adhuc periclitati ad portum incolumes emerſerunt, à uobis poſtulant id quod æquiſsimum arbitrantur, ut in omnium maximè ardua contentione pari ſaltem cum aliis iure ac conditione potiantur. Ac ne fortè ambitioſa & impotens petitio iſta iudicetur, Auditores grauiſs. ex ueteri maiorum conſuetudine ac inſtituto paucis comprehendam, quantum uobis &

uniuerſis

uniuerſis interſit,ut in Rep.homines bene-ficentiſsimi ſpe poſteritatis irretiti teneantur. Non eſt enim exiſtimandum incõſultò ciuiles cœtus iam in pagis & oppidis copulatos concordiſsima ſocietate coërceri, qui anteà in mõtibus & ſyluis immani belluarum more diſsipati uagabãtur. Verùm prudẽtiſsimi legum latores, qui iura & iudicia ciuitatibus dederunt, cùm duo genera hominum eſſe comperiſſent, unũ agreſte & ferinum, mite alterum & mãſuetum, utriq; ut congruè pro ſua natura prouiderent, iſtud obſequiis deliniendũ, illud horrore ſupplicij maleficio ſubmouendum cẽſuerũt. Ac ideo Stoici, qui de moribus reliquorum Philoſophorũ integerrimè ſenſerunt, legem ipſam uirtutum commendatricem, & uitiorum emẽdatricem definierunt, quoniã felle ac melle promiſcuè condita eſſet, imperarétq; ut aliorum ſolertia præmiis, pecunia, honoribus augeretur, aliorũ crimina atq; fraudes damnis, ignominiis, uinculis, uerberibus, morte acerbiſsima mulctarentur. Huc etiam quodãmodo inclitus imprimis phyſicus Democritus uidetur reſpexiſſe, quãdo Pœnam & Beneficium, ut duos genios & potentiſsi-

mos

mos Cælites uenerabatur, ab iiſq; mūdum cieri, agitari, ſtabiliri, atq; ſuſtentari commentabatur. Cuius ſententiam figmentorum integumentis uelatam poſteà Solon euoluēs, cùm Athenienſium politiam informaret, quaſdam leges ſeueras tulit de parricidarum & ſacrilegorum ſuppliciis, alias clementiores de penſitanda ciuibus mercede, qui populi fortunis & commodis neglecta rerum propriarum ſolicitudine ſe totos deuouiſſent. Sunt enim, Aud. grau. proborum & improborum uaria ingenia, neq; uno eodémque uinculo utriq; finibus honeſtatis conſtringuntur: uerùm, ut aptè Poëta notauit, ſicut

Oderunt peccare boni uirtutis amore,

ſic etiam

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quanquam ſi quos terror à delictis magis quàm recti & ęquitatis pulchritudo auocet, ſola figura & ſpecie humanos, habitu animi leones, lupos & portētorum ſimillimos exiſtimari oportebit. Mihi autē quia cum ingenuis uiris, & ad humanitatem decúſq; eruditis ſermo interceſsit, prodigioſas mortalium peſtes omittam, ad eorum, quibus unicè legum conditores incubuerunt, ci-

uium

uium ornatiſsimorum authoritatē quamprimùm, uobis benignè fauētibus feſtinabo. Nunc itaq; ad Græcorum adoleſcentes reuertar, ut quorum diſcrimina & ſudores prima mea actione audiiſtis, eorundem triumphos, & partum ex illuſtri fortitudine rumorem mecum nouiſsimâ recognoſcatis. Nolitè enim putare illos in tam ardenti motu, perenniq́ue corporum defatigatione uſquam duraturos fuiſſe, niſi oculos mentemq́; in obiecta ſibi gloria intentius defixiſſent. Quare in Olympiis & Gręciæ ſacris ludis diuerſa præmia iuuenibus exhibebantur, famæ, pretij, ut quando conſentaneum pro uniuſcuiuſq; uoto & uolūtate donum ſpectaretur, nemo à ſpatiis & à curſu abſq; infamia retardaretur. Alij coronis & ſertis redimiti, quadrigis aureis in patriam uehebantur: nonnullis ſtatuæ ad corporis proportionem reſpondentes extruebantur: pleriſq; uictus publicè in Prytanæo præbebatur: omnibus autem uectigalium & negotiorum immunitas, atque à bellis ceſſatio tribuebatur. Quod quidem Romani in ſua quoque palæſtra quamproximè imitati expreſſerunt, & gladiatores, qui palmā in arena meruiſſent, uacatione

tutelæ ac oneris, & ſuauiſsima tranquillitate compenſarunt. Veruntamen non tam carceres & ſtadia iſtorum munerum expectatione feruеſcebant, quàm quòd uictores factorum ſuorum encomium uerſibus & ſcriptis tractari cupiebant. Etenim ad ſpectacula Præcones, Poëtæ, Oratores, Hiſtoriographi à ciuitate conducebãtur, qui Pugilum certamina in frequentiſsimo aſtantium cœtu magnificis uerbis proclamarẽt. Herodotus panegyrica iucunditate: Hippias, Prodicus, Anaximenes ſtylo grãdiore: Pindarus carmine Olympionicas decãtauit. Denique ſi quid ſtrenuè, iuſtè, aſtutè quiſpiam geſsiſſet, illico in cælũ ab authoribus extollebatur, paſsimq́; à vulgo illud Pindari dictum uſurpabatur, πεπλεισμένον ἐυλὸν μὴ χάμαι σιγᾷ καλύψαι. Vellem, Aud. grauiſs. ea nunc apud nos conſuetudo increbuiſſet, ut inſignia Ducum, Regũ, Imperatorum facinora in aſpectum & lucem proferrentur, tandemq́ue aliquando eius Frãciados, quam Poëtæ noſtri iandiu parturiunt, Iunonius partus naſceretur. Nam quæ alia ratio fuit, cur ueteres militari laurea & forenſi toga uiguerunt, niſi quòd apud illos bene dicentiũ, fortiterq́; pugnantium

tium nomen & in colloquiis, & in omni concione prædicabatur? Nunc etiam inſidet in probiſsimo quoq; naturalis quædam procliuitas, quæ noctes & dies animũ gloriæ ſtimulis fodit, atq; admonet non cum uitæ ſpiritu eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cũ perpetua immortalitate adæquãdam. Neq; eſt enim hoc diſsimulandũ, quod obſcurari nõ poteſt, ſed liberè cõfitendũ: trahimur omnes laudis cupiditate, nec quiſquam tam auerſus à Muſis, tam criticus & horribilis inuenitur, qui non famæ deſiderio incendatur, & æternum laborum ſuorũ elogium literis conſecrari ultrò patiatur. Themiſtoclem illũ ſummũ Athenis principem reſpõdiſſe aiunt, cùm rogaretur quod acroama, cuiúſue uocem libentiſsimè ſubauſcultaret, eius à quo ſuæ nobilitatis amplitudo celebraretur. Quocirca magnus ille Alexãder cùm in Sigæo ad Achillis tumulũ aſtitiſſet, fortunatum adoleſcẽtem exclamauit, cui Homerum laudis ſuæ præconem nanciſci cõtigiſſet. Item Marius eximiè Luciũ Plotiũ dilexit, cuius lucubrationibus ſperabat Cimbricum & Teutonicum bellum, quod paruis admodum copiis confecerat,

poſſe illuſtrari. Sylla mali cuiuſdam poëtæ ſedulitatem aliquo præmio ſtimulandā duxit. Pompeius Mityleneū hiſtoriographum in corona militū ciuitate donauit. Phalaris Agrigentinus Steſichoro delubrū ædificauit: Dionyſius tyrannus Platonem equis albis excepit: Veſpaſianus, Gordian⁹, Adrianus, Sigiſmundus, multiq; præterea Imperatores incredibili literarum & literatorū amore flagrauerunt. Quid uerò noſtri Principes? Nūquid prædicationem dignitatis deſpiciunt, & de ſe ſcribi ac nominari nolunt? Non eſt credibile, Aud. grauiſs. cùm uitæ humanæ ſpatiū certis limitibus, exiguis ſanè terminetur, quin optare ſoleant, quò minus manuum ſuarū tela permearint, eodē gloriam famamq; penetrare. Enimuero miror quòd cùm quamplurimi conſiliorum ſtatuas & imagines ſummis ingeniis dolatas relinquere aucupentur, pauci tamen ſcriptorum copiam & doctrinam conētur deuincire. At quàm indignum & quàm luctuoſum eſt, ut in Optimatū ædibus lenones, ſcorta, hiſtriones, homūcij, aſſētatores, mimi, & reliqua Sardanapalici ſatellitij genera primas occupent: docti, & honeſti homines ꝓcul ab illis excluſi

cluſi deturbentur? Qui lenocinia uoluptatum, & libidinis illecebras miniſtrãt, peregrinis & deploratis nebulonibus pinguia & opima ſacerdotia conferantur: Qui uitę & ſapientiæ fruges ſerunt, Gallicis bonarũ literarũ profeſſoribus mercedula denegetur? O temporum, ô morũ corruptelam! Quis enim grauis, quis honoratus euadat, niſi ſuffragiis eruditorũ celebritatem adipiſcatur? Quæ ciuitas non dicam florebit, ſed ne ſtabit quidem, niſi in eorundẽ ipſorum prudentia & humeris innixa cohærebit? Priſci tres olim Charitas, tãquam nitoris & gaudij effectrices coluerunt, adeò ut ſi quis mœſtitiam alicũde contraxiſſet, ταῖς χάρισι σπένδειν iuberetur. Tres illę Gratiæ, Auditores grauiſs. quid aliud præter tres ſummas ſcientias, Medicinam, Iuriſprudentiam, Theologiam innuerunt? Quæ ſi quid doloris aut ex animi ægritudine, aut ex corporis labefactatione, aut ex bonorum direptione irrepſerit, præſto adſunt, corporis imbecillitatem leuant, animi cruciatus minuunt, poſſeſsioni redintegrandæ patrocinantur? At hæ Charites propter ſimplicitatem nudæ ab antiquis pingebantur: nunc à noſtris ob eam potius

rationem

rationem nudantur, quòd deſertæ ac indotatæ à diuitibus profligentur, ac procul ex Regiis lateāt, ueſtibus & opibus ſpoliatæ. Ergo in tanta temporum perturbatione, & hominum præpoſterè iudicantiū peruerſitate nihil nos artium impendentem πανολεθρίαν, nihil proximam Imperiorum uaſtitatem, nihil Regū perniciem pertimeſcemus? At enim ut ſine cultura agri, quantumuis fertiles, fructuoſi eſſe non poſſunt: ita ingeniorum acies hebeſcit, niſi honore acuatur, & omnes induſtriæ nerui lāguēt, qui non munifica nobiliorum benignitate promouentur. Quæ uerò forma ciuitati, quis ſtatus, quę ordinatio permanebit, à cuius gubernaculis docti & ſapientes abigantur? & in qua legum maieſtas ſileat, uis armorum dominetur, cuncta pro imprudentis & profanæ plebis arbitratu miſceantur? Bene quidem Antiſthenes philoſophus ex eo rebus publicis imminētem ruinā à Diis portendi autumabat, quòd in iis nullum proborum & improborum diſcrimē adhiberetur nulláq, aut uirtuti merces, aut peccato pœna præciperetur. Nam ſi mihi per otij anguſtias liceret, Auditores grauiſs. omnia priſcorum Imperia, Græcorū, Romanorum,

manorum, Carthaginiẽſium, Perſarum, Gothorum percenſere, quanta detrimenta ex ignoratione gentibus illis exorta demonſtrarem? Quæ quotieſcunque reputo, & in ſeculi noſtri aſperitatẽ intueor, equidem perhorreſco, ne artium eximiarum contemptus aliquid ſiniſtri orbi Chriſtiano, pręſertim Regibus & Principibus, pręſagire ac minitari uideatur. Erit forſitã periculoſum uitia eorum uerbo perſtrinxiſſe, qui ne quidem ſe admoneri uolunt: uerùm me tacente lapides haud dubiè uociferantur. Quòd ſi nonnulla ſpes Reipub. uindicandæ, deteſtandíq; exitii adhuc affulgeat, literatiſsimorũ uirorum gratias placemus, conciliemus, cohortemur, ut fati atrocitatem auertant, ſcelera euellant, leges erigãt, iudicia corroborent, uetuſtatis muniant diſciplinam. Sed de his leuiter: redeo iam ad Gręcos, qui authores Romanis & poſteris extiterũt, ut nemo flagitium impunè perpetraret, nemo ingratum ciuibus ſtudium & operam commodaret. Itaque, ut de reis & ſontibus ſileam, bene merentibus publicè illi præmia largiebantur, non tantùm ut memores & officioſi haberentur, uerũ etiam ut cæterorum conatus ad ſimile

virtutis exemplum inſtigarēt. Ex quo Solonis edictum inualuit, ut Athenienſium liberis, ubi ad ephebos perueniſſent, ſapiētum ſententiæ & grauiter dicta, ſimúlque res militum & ducum ſtrenuæ crebrò inculcarentur: propterea quòd audiēdo paulatim ad laudis amorem raperētur, ac mētem ſuam contemplatione hominum excellentium conformarent. Quapropter Athenienſes magno ludorum apparatu ac pompa quotannis eius diei meminerant, quo innumerabiles copias pauci ad Marathonem campum præfecto Miltiade fugarant, Deóſq; patrios ulti, uirtutis ſuæ monumenta in omnē poſteritatis memoriam lapſura reliquerant. Thebani quoque ac Bœoti Leuctricam pugnam Epaminundæ auſpiciis fœliciter initam, dum licuit, ſolenni gaudio atque hilaritate celebrarūt. Eſt enim generoſis & naturæ bonitate præditis adoleſcentibus neſcio quædam innata inuidiæ cupiditas, ut iis æmulentur, qui ea poſſideant, quæ ipſi poſsidere concupiſcāt, ac proinde à nemine uelint ſuperari, omnibus autem ſtudeant excellere: adeò pulchrum cenſent digito monſtrari, & dicier hic eſt. Legimus Achillis memoria ſtimulatum

latum fuiſſe Alexandrum, ut pericula ſpõtè appeteret, prouincias armis peragraret, inimicorum impetus aſpernaretur, de uita & capite pro gloria decertaret. Poſteà imago Alexandri Iulium Cæſarem ſic acriter inflammauit, ut obſtructã Galliç expeditionem tentare, in mediis Gallorum finibus caſtrametari, vrbes munitiſsimas obſidere, omnium populorũ odia in ſe vnum concitare nõ dubitauerit. Niſi Græcia Iſocratem, Roma Hortenſium applauſu & ſuſurro demulſiſſet, Ariſtotelis ac Ciceronis doctrina & eloquentia poſterior ætas caruiſſet. Ne uerò diutius à propoſito aberret, & à ſententia deflectat oratio mea, an tandem exiſtimatis Pythios, Nemeos, Iſthmios & Olympiacos Pugiles nudato corpore luctaturos & congreſſuros vnquã fuiſſe, niſi tũ demùm in animis nepotum ſe victuros ſperaſſent, cùm è viuis fortiter digladiando exceſsiſſent? Magno videlicet ac uehementi honoris aculeo pungebantur, qui etiam ſi omnia ſecum moritura, nihilq; præter eam, quam in terris ſui recordationem diſſeminaſſent, reſiduum ſibi ultra fore crederent: tamen animam ultrò in arena, & in prælio euomebant, ut a-

liqua inter ſuperſtites commendatione ornati, nomen ſuum longa ſerie in plura ſecula propagarent. Quæ cùm ita ſint, Aud. grau. vt omnium præmiorum ampliſsimum à ueteribus gloria putaretur, ut pro ea in ſudoribus & miſeriis exercerentur, ut Pugiles à Præconibus & Poëtis mirabiliter decorarentur, quid non pariter Iatrogoniſtæ noſtri à me quantulamcunq; prædicationem, à uobis iuſtam & optatam approbationem expectabũt? Nam ſi animorum ornamenta corporis operibus anteponuntur, & multò difficilius illa, quàm hæc perficiuntur, non eſt controuerſum quin Iatrogoniſtarum exiſtimatio maius preciũ, fructumq; laudis cumulatiorem mereatur. Et certè, ne quid mentiar, ut Athletæ infinitis partibus robuſtiores fuiſſent, quæ inde ad populum utilitas dimanaſſet? Quid enim Milo Crotoniates quòd inuictus eſſet, quòd bouem humeris geſtaret, taurum pugno mactaret, Reip. præſidij & emolumenti attulit? Quanquam ego nolim decus Athletis attributum derogare, nedum illud mihi arrogare, ut rear maiores parũ proſpexiſſe, cùm ſolennes primùm conuentus, & gymnica præludia erexerunt,

præſer-

præſertim quando hoc inuẽtum ualde hactenus laudarim. Licet autem in cõtentione meritorum ea moderatio & regula tenenda ſit, ut qui æquè iuuerint, æquali trutina compenſentur, qui plus aut minus deſudarint, iis honorificentiora uel humiliora munera perſoluantur: maiores tamen, & uetuſtiſsimos ciuitatum rectores uideo aliter ſtatuiſſe, ut quæ Athenienſes & Romani Palæſtritis præmia conceſſerunt, eadem omnino puluerem Iatricum terentibus irrogarent. In quo mirificam Athletarum & Medicinæ Candidatorum animaduerto conſenſionem, cùm pugnarum ſimilitudine, tum mercedis deſcriptione conuenientem. Atq; hac una præcipuè cauſa ſum adductus, ut Iatrogoniſtarũ altercationes cum Olympionicarum dimicationibus componerem, potius quàm in Colchidem ad inaurati arietis prædam iandiu ſublatam eos relegarem, aut Vlyſsi ſocios, & erroris comites adiũgerem: quę ſubtiliter quidem à nonnullis excogitata, ſed loco & rebus parùm conſentaneè accommodata mihi fuiſſe uidebantur. Vos uerò, ſi placet, quò facilius totam Athletarum & Iatrogoniſtarũ comparationem obſerue-

tis, audite quid de utriſq; Iuriſconſulti noſtri loquantur. lubet enim eorum leges propriis legum uerbis recitare.

Athletis, inquiunt, ita demùm ſi per omnem ętatem certaſſe, coronis quoq; non minus tribus certaminis ſacri, in quibus uel ſemel Romę, ſeu antiquitus in Gręcia meritò coronati, non ęmulis corruptis ac redemptis probentur, ciuilium munerum tribui ſolet uacatio. Audiamus quid iidem de Medicis decernant. Medicos & maximè Archiatros unà cum uxoribus & liberis, nec non & rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſsident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus uel ciuilibus, uel publicis immunes eſſe pręcipimus, & neq; in prouinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, uel exhiberi, uel iniuriam pati: uel ſi quis eos uexauerit, pœna arbitrio iudicis plectetur. Adhęc uictores curriculorũ à Pręcone palàm in circo pronunciari, & iuuenibus ad imitandum proponi ſolebant. Inde Pontifices, qui nauis Chriſtianę clauum dirigunt, & caſtiſsimis Muſarum ſedibus pręſident, mandato ſanxerunt, ut quantum quiſq; in ſtudio literarum profe-

ciſſet,

ciſſet, tantundem & honoris & laureę conſequeretur. Itaq; ne quis ſpe mercedis fruſtratus excideret, in Academia Pariſienſi (ad eam enim me adſtringam, ꝙ immenſum foret de ſingulis diſputare) duos Antiſtites libertatis ſcholaſticæ conſeruatores atq; tribunos indiderunt, quorum alter grauiſsima munia moderaretur, quo in præſidio illuſtriſsimus Cardinalis à Caſtilione, tanquam in excubiis & cuſtodia arcis Mineruæ ſpeculatur: alter literatorum exercitationibus intereſſet, quam quidem perſonam Ioãnes Viuierius iuris utriuſq; doctor, & Academiæ Cancellarius ſuſtinet, tanta fide & integritate, ut nõ modò ipſum uelut ſtudiorum teſtem & ſpectatorem, ſed etiam fautorem & patronum reuereamur. Is eſt, Aud. grau. Agonotheta noſter, qui Iatrogoniſtas, diligẽter examinatis ſingulorum uiribus, in libertatem aſſerit, in ueteranorum militum ordinem cooptat, in clariorem Medicinæ familiam trãſmittit. Quod ut decẽtius fiat, nomenclator deligitur, ab antiquorum præcone non admodũ differens, qui nominatim eorum uigilias oſtendat, qui poſtero die ab Agonotheta ad lauream aſciſcuntur. Ille autem cui hoc

ἐγκωμιαστικὸν onus traditur, quãobrem uulgari & uernaculo uocabulo Paranymphus nuncupetur, haud ſatis ſcio, tametſi ea de re cum uiris Theologis, Medicis, & recõdita cognitione abundantibus curioſè cõmunicarim. Niſi fortè ideo Paranymphũ uocari cõiectemus, quòd Iatrogoniſtis nuptias cũ domina Medicina cõtractas ominetur. Græci enim παράνυμφον, aliter νυμφαγωγὸν & νυμφοστόλον interpretabantur, qui arbiter uiri & uxoris matrimoniũ conglutinarat, unde honoris cauſa inter utrumq; medius plauſtro nuptiali uehebatur. Quòd ſi uobis Græci uerbi notatio arrideat, non inficior, quominus Paranymphi appellatio mihi competat, neq; iniuria. Siquidem auſpex & præco ueni, qui uobis nuncium ſignificarem connubij & fœderis, quod poſtridie Iatrogoniſtæ, bonis, ut ſpero, auibus cum filia Apollinis, Aeſculapij ſorore, uirgine Iatrica, eiúſq; Nymphis paſciſcentur. Atque utinam quò nomini & muneri meo plenius ſatiſfacerem, alias illis tedas & coniugales thalamos poſſem augurari, profectò me hoc auſpicio fortunatũ fore, multíſq; rem gratam facturũ confiderem. Quis enim mercator, quis cauſidicus, quis ſena-

ſenator, quis deniq; paterfamilias in quã-
libet locupleti & copioſa ſupellectile, non
tales ſibi generos, tales filiabus maritos am
biuerit? Adſunt, ni fallor, in hac hominũ
lectiſsimorũ corona parentes quãplurimi,
qui oculis notant & deſignãt unumquenq;
Iatrogoniſtarum, & ſuæ familiæ iam inde
deſtinatũ vultu candidiore contemplãtur.
Quare fortunam undiq; illis aſpirantem,
ſuáſq; largiter facultates effundentem pro-
ſpicio, quę mutato flatu mutãda mihi uela
ſuadet, & à labore ad quietem conuerſa Ia-
trogoniſtarũ uita, meam orationẽ ad gau-
dia & triumphos eſſe conuertendam. Non
enim amplius tot curis angẽtur, tot ærũnis
conficientur, tot in præliis uerſabuntur, de
rerum euentu tantoperè cruciabantur. Hîc
illis miſeriæ deſinunt, hîc omnes laborum
æſtus abſorbentur, hîc periculorũ ſcopuli
obruuntur, hîc dolorũ tenebræ diſpellũtur,
hîc clariſsimi lætitiæ dies oriuntur. Qua-
propter, Aud. grau. geſtire mihi uideor,
& meo iure quodãmodo triũphare, quòd
Iatrogoniſtarũ fœlicitati experior ueſtram
beneuolentiam iucũdiſsimè gratulantem,
& craſtinæ lucis celebritati auidiſsimè prę-
ſtolantem. Atenim ne quis intercedat, ac
trium-

triumphum interturbet, ne quicquam reprehēdat, ne quicquam omiſſum cauſetur, quominus perfectè, iuſtè ac gloriosè omnia magnifica Iatrogoniſtę aſſequãtur, nõnullorum Catonũ occurrã obtrectationi, qui cùm præteritas diſceptationes probent, præmia deberi annuãt, præconio aſſentiãtur, auſterè tamen & Stoïcè negant ſumptus fieri hiſce in rebus decuiſſe. Vetus eſt iſta, & iampridem ex liberaliſsimo conſortio exploſa querimonia. An nõ ſi quis Romæ triumphum aut magiſtratum, ſi quis Athenis gymnaſticã palmã adeptus eſſet, oppiparas uiſcerationes condiebat, & populo modis omnibus gratificabatur? Nota ſunt inſuper Philoſophorũ ſympoſia, xenocratis lege, & Ariſtotelis inſtituto ſancita, pecuniiſque potentiorum ſuſtentata, & Athenæi cõmentariis exarata: quæ quoniã accubationem epularem amicorũ, & uitæ coniunctionẽ haberent, benè maiores conuiuia nominarunt. Quid? Sartores, ſutores & ludicri opifices in tyrocinio edendo nullis impenſis uel hac tẽpeſtate parcunt, nos propenſam Iatrogoniſtarum liberalitatem uituperemus? Oderunt homines ingenui priuatam luxuriam, publicã magnificentiã diligunt:

diligunt: non amãt profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multò minus: diſtingũt rationem officiorũ & temporũ, uicißitudines laboris ac uoluptatis. Quòd ſi cuiuis apertũ ad Medicinæ penetralia iter pateret, nec conſideratio perſonarũ ulla duceretur, quæ ordinis confuſio, quæ Medicaſtrorum turba protinus emanaret? Quamobrem nihil quod egregiũ ac laudabile eſt, Deus vulgi oculis & pedibus arripiendũ obiecit, ſed in alto & eminẽti uertice locauit, quò minùs idonei non poſſent ſcandere: atq; ut de gymnaſticis Olympionicarũ ludis Pindarus refert: αἰεὶ, δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται, πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμέ νον. Itaque remoto procul impedimento, & ſedata Cenſorũ aſperitate reſtat ut triũphi ſignificationem concludamus, & poſtquam ſex reliqui ex octodecim Iatrogoniſtæ in conſpectũ cum manubiis & trophęis prodierint, craſtinæ lætitiæ ſtatutum & ſolenne ſpectaculũ opperiamur. Verũtamen quis prima acie anteſignan⁹ progredietur? quis ſecundo cornu, tertio, cæteríſq; deinceps cõſiſtet? Nam tametſi omnes uno laudis & uictoriæ circulo ambituq; cingãtur, fieri nihilominus locorum diſtinctionem

neceſſe

neceſſe eſt, ut qui ſint ſummi, qui medij, qui ultimi à uobis diſcernantur. Videmus ſiquidē in Curia Senatores & Decuriones in ſubſelliis primos uel poſtremos aſsidere, prout primò uel poſtremò conſcripti fuerunt: in ſupremo Regis concilio, imò uel in plebeiis cōcionibus rationem haberi dignitatis & ætatis. Eodem pacto Cancellarius præmiorũ præſes & diſtributor Iatrogoniſtarum vnumquenq; pro magnitudine meritorum decorabit, ſic tamen ut qui in infimum gradũ reiicietur, ſatis honorificè ac cumulatè muneratus uideatur. Ergo poſtridie, decimam circiter horam, ad virginis Mariæ religioſiſsimũ templũ Iatrogoniſtæ coïbunt, ubi laurea cincti ac inſignitī beneficio Agonothetæ conſpiciātur. Eò ut tempeſtiuè accedatis, Aud. grauiſs. mirum in modum orant & precātur: nullumq; pro tantis ſuis contentionibus teſtimonium uirtutis, nullum inſigne honoris, nullum monimentũ laudis flagitant, præterquam craſtinæ diei memoriam ſempiternam.

EIVSDEM IOAN. VETERIS breues aliquot Orationes encomiaſticæ ad ſingulos Iatrogoniſtas præmio & laurea Medicinæ donandos.

Ad Iacobum Carpẽtarium Bellouacum.

ARchilocus poëta cùm aliquando Herculi Olympionicæ ad citharæ modulos hymnũ pangeret, ſic exorſus dicitur: χαῖρε καλλίνικε, τήνελλα, ἄναξ Ηράκλεις.
Breuis ſanè, ſed digna Hercule, ac Herculis laudum propria ſententia: quandoquidem paucis immenſam, ac heroicam propè uirtutem cõplexa eſt. Quid enim de Hercule, quanuis poſt homines natos fortiſsimo, amplius prędicari potuit, quàm ut Regis ſingulari elogio, uictoris honorifico titulo, Herculis deniq; peculiari ornamento inſigniretur. Vellem, Aud. grau. ea mihi iam

iam dicendi facultas & copia ſuppeteret, ut Iacobi Carpentarij ſtudia & conatus enarrare poſſem: aut uobis ea auſcultandi uoluntas, ut quę de illo commemorarem, lubēter omnia ſine tædio aurium, & animorum offenſione attēderetis, profectò illum Hercule præſtantiorem tantò eſſe demonſtrarem, quantò Iatrogoniſtæ Athletis, Galli ueteribus, ſapientes imperitis antecellunt. Quid eſt igitur, cur ego Carpentarium, ſi minus ei anteponam, ſaltem meritò non componam, ſi ambo iiſdem inter ſe laboribus cōiuncti, ſi periculis communibus ſocij, ſi laude ſimiles inueniantur: hoc ſolùm differant, quod in illo nonnihil ſuo iure antiquitas comminiſcatur, in iſto cuncta uerè attributa uideatis. Eſto, ἀλεξίκακος à priſcis Hercules nuncupetur, quòd aprum, leonem, hydram, cæteraq; monſtra domuerit, Cerberum ex imis inferorū faucibus exciuerit, Augiæ ſtabulū perpurgauerit, demúmq; in Olympia publicum Athletis duellum indixerit. An non enim eadem in Carpentario, aut etiam illuſtriora emicabunt? Qui cùm quarta luna genitus, & à Ioue quaſi effictus ingenij bonitate ac ſolertia incredibiliter ualeret, prętereà conni-

connitendum exiſtimauit, ut & Naturæ igniculos colendo augeret, & Iouis, id eſt parentũ, quos habuit omni honeſtatis genere ornatiſsimos, dignitatem imitando adæquaret. Agite uerò, Aud. grau. ne tritam & vulgarem cõmendationis uiam in viro minimè vulgari teramus, omiſſa Carpentarij familia, indole, pueritia, quanquã & in iis multa inſunt exquiſitè obſeruanda, in Adoleſcentiæ uigiliis inſiſtamus, in iiſque leuiter (diu ſiquidem & accuratè non licet) labores pluſquam Herculeos contemplemur. Fuit enim quoddam tempus uel noſtra memoria, cum mille portentorum facies, ignorationis, ignauiæ, barbariæ in hac Academia impunè graſſarẽtur, cùm Iuno zelotypa, Iouis & rerum ſplendidiſsimarum ſemper æmula denſiſsimis nubibus literarum lucem, ac diſcentium mentes oculóſq; perſtringeret. Iacebãt artes altius immerſæ, profundiſsimaq; obſcuritate implicabantur, aut ſi quæ aliquantulum exurgerent, fuco illitę uenditabantur, & pro abundantia egeſtas, pro corpore vmbra, pro theſauro, ut aiunt, carbones captabantur. Quid tunc Carpentarius? Cerberum fortaſsis aliquem ex Erebo traxit, & in

in terras inuexit: imò Philoſophiam numero partium cum Cerberi ceruicibus congruentem è tenebris in ſolem euocauit, euocatam ab obliuione atque ſilentio uindicauit, uindicatam ambagibus, quibus innumeris ſcatebat circunſepta, enodauit, enodatam in conſpectu & propatulo ad iuuentutis fructum collocauit. Sed tamen nouum ecce monſtrum Carpentario ſuſcitatur: Philoſophia captioſis inimicorum laqueis irretitur, ſordibus adhuc inquinata retinetur. Illic Augiæ bubile fuit detergendum, illic maculæ impuræ loquacitatis eluendæ, illic iniecta philoſophico lumini caligo diſcutienda. Iam triplici ſatellitio uictor incedebat, & ueritatem à falſitate diſcretam, naturæ ſcientiam, & morum ſanctimoniam mundo inferebat, cùm Leo terribilis, & Hydra lernæa conſpirantibus & fraternis animis in Philoſophiæ ac eloquentiæ ſepta petulanter irrepſerunt. Dij immortales quãto impetu, quanto robore cum talibus prodigiis Herculi noſtro pugna cõmiſſa eſt, ne ueneni labes paulatim ſerperet, néue latiùs contagione circunfuſa emanaret! Veruntamen claua & faſcibus ſibi cùm Rectoria poteſtate ab Academia

cademia cõceſsis, armatus leonem debellauit, & hydrã ſophiſticã, cui, propter loquacem profluentiã, pro uno ſermonis capite amputato multa confeſtim renaſcebantur, igni ſapientiæ ac doctrinæ machinis proſtratam mactauit, tandémq; pacatæ tranquillitatis uſuram deſperanti Philoſophiæ recuperauit. Atq; ut Hercules Tritoniæ Palladis adiutus patrocinio quęlibet alia monſtra intrepidè auertit, neq; ullis ęrumnarum cladibus debilitari potuit: ita & iſte Philippi Belli Mecœnatis ſui beneficentiſſimi auxilio fretus, acerrimas aduerſariorũ dimicationes, turbulentiſsimas inuidiæ tẽpeſtates ſuſtinuit. Ex quo deniq; fama eius virtutis vbique gentium promulgata, non mediocrem illi apud doctiſsimos homines authoritatem conciliauit, cùm Galli in unum Carpentarium eruditionis Coryphæum intueremur, & ex ipſius flexanima ſuada, tanquam ex aurea Herculis catena, mirantes penderemus: exteri autem eius uidendi audiendíq; cauſa ex diſiunctiſsimis orbis terrarum regionibus Lutetiam non minus frequentes coirent, quàm ad Liuium quõdam uiſendum ex tota Italia, & ad Demoſthenem ex omni Gręciæ par-

te concurſus fieri ſolitos hiſtoriæ prodiderunt. Quid plura? Hercules Olympiorum certamen poſtremò erexiſſe, ac in eo tam ſtrenuè ſe geſsiſſe, uires cum aduenis periclitãdo, fertur, ut in quouis gymnaſiorum genere princeps, periodi uictoriam, & uictoriæ teſtem à populo applauſum, ab eruditis præconium reportarit. Te quoque (iam enim propiùs tecum loquar) demẽſum in Iatrico puluere curriculum, & uarius ille artium cunctarum ambitus, quem ſtudio & diligentia peragraſti, ſociũ Herculis columnæ adiungit, ut mihi propemodum Hercules alter effectus uideare, ubi primùm palma primaria, quam tibi primario uiro iampridem debitam Agonotheta me internuncio pollicetur, exiſtimationi tuæ uelut cumulus acceſſerit.

Ad

AD IOAN. NESTORA Lutetianum.

QVanquã tua grauitas & eximia eruditio (mi Neſtor clariſsime) propriis laudibus cõtẽta nihil cumulatius requirat, & ingenij noſtri tenuitas parum lucis tuo ſplendori allatura ſit, patere tamen, quęſo, ut pauca de te in audientium memoria reponam, ne ſi penitus uelis præteriri, aut conſuetudinem neglexiſſe, aut uocem meam reſpuiſſe uidearis. Atenim, quandoquidem noui pudorem, noui moderationem animi tui, quàm procul ab iſta auræ popularis cupiditate, quam plerique ambitioſius aucupantur, omni tẽpore aberrarit, dabo operam ut minimo cum faſtidio promiſsi muneris pẽſum abſoluam: idcirco breui tanquam in tabella, quemadmodum ferè ſolent qui vrbium & prouinciarum ſitus depingũt, aliquot dũtaxat excellentis famæ capita comprehendam, plura in hominum iudiciis tacitíſq; mentibus relinquam, quæ uix cuiuſquam ubertas orationis eloquatur. Ac ne longius multitudine rerum abrupta cogitatio di-

uagetur, certos mihi limites præfigam, ad unius Achiui Neſtoris exemplum tuæ uitæ ſummam reuocabo. Cui enim credibile hoc non fiat, ſicut Pontifices Diuorum nomina ſuſcipiunt, quorũ in adminiſtranda Rep. pietatem æmulari cupiunt: ſic te ab iſto Principe cognominatum, cuius dotibus tui mores & inclita monimenta mirificè cõſonarent? Nam cùm duo ſint, quæ in ſuo Neſtore Homerus potiſsimùm admiratur, conſilij uis prudentiæ plena & fidelitatis, ac agendi apta ad perſuadendum promptitudo, non eſt meherclè dubium, quin ad utrunque te Natura genuerit, uoluntas excitarit, ſedulitas acuerit, uſus omnino confirmarit. Neſtor in decennali Troianorum obſidione primus ad publicas cõſultationes adhibebatur, quinetiam tantùm eius in cohortando ualebat authoritas, ut quicquid fas aut operępretiũ duxiſſet, unanimi aſtantium conſenſione approbaretur. Si caſtrametari, ſi Pergama oppugnare, ſi obſeſſos adoriri, ſi exercitum munire, ſi reliqua militiæ officia curari oporteret, ad Neſtoris oraculũ confugiendum, à Neſtoris auſpicio captãda primordia cenſebantur. In ſententia uerò dicendi mirum

mirum eſt quàm militum cœtus deliniret, motus impelleret, diſsidia cohiberet, timorem expergefaceret: adeò lingua fulgurabat, geſtu tonabat, & vultus ſeueritate cũcta, prout arbitrabatur expedire, permiſcebat. Quapropter non iniuria dux Agamemnon præcipuè à ſuperis expetere ac obteſtari ſolebat, ut decem Neſtoras nanciſci poſſet: quod cùm accidiſſet, Ilium breui periturum, ciuéſque in ſpontaneam deditionem uenturos confidebat. Ego autem, ſi modò uotis exitus & euenta ſuccederẽt, uexillum nobis oblatum putarem de omni re literaria bene ſperandi, ut ea nouem aliis æquè diſertis, æquè ſapientibus & prouidis fulta ſeſe attolleret, ac iterum decori antiquo redderetur. Nam quis non meminit complures ſcholas, quæ antea deſertæ ac incultę lababant, cùm primũ ad eas appuliſti, hac pręſentia & aduentu repentè exhilaratas, & diſcentium numero, & docentiũ celebritate floruiſſe? Teſtis eſt Bellouaca, cuius in arce primas excubiarum partes tenuiſti: teſtis Barbarana, unde barbariem ſubſtituta ſuauitate deturbaſti: teſtis Cardinalitia, ubi arbores & amœnos Muſarum hortos numeroſo cantu perſo-

naſti: teſtis Becodiana, quam, tametſi creſcentem, auxiſti: teſtis Burgundiana, in quam denique leporis tui ornamenta congeſsiſti. Quæ omnes tam propitiam tuam opem uiciſsim ſenſerunt, quàm olim Neſtoris prouidentia, ut ſalutari quodam numine Græcorum cauſa defenſa eſt. Sileo temperantiam utrique ueſtrûm familiarẽ, ſileo clementiam, uigilantiam, cæteráque uiuendi ac intelligendi ſubſidia, quæ uos ita mutuo ſimilitudinis uinculo copularunt, ut niſi fortè nefarium, præterq; hominis Chriſtiani fidem impium foret, Pythagoræ παλιγγενεσίαν renouare, auſim iurare Neſtora eundem reuixiſſe, ac in tuum corpus demigraſſe, quo nullum habilius, nullum uenuſtius, nullum magis animi ſui domicilio appoſitũ reperiebat. Enimuero ſapiens Neſtor & facundus fuerit: at in arenam nõ deſcendit, at in palæſtra non decertauit. Imò ne illud quidem à poëta in eius encomio prętermiſſum eſt, apud quẽ ſua ipſe certamina his uerbis decantans inducitur:

πὺξ μὲν ἐνίκησα Κλυτομήδεα Ἤνοπος υἱὸν,
Ἀγκαῖον δὲ πάλῃ πλευρώνιον ὅς μοι ἀνέστη,
Ἴφικλον δὲ πόδεσσι παρέδραμον ἐσθλὸν ἐόντα,

Δσεὶ δ' ὑπερέβαλον φυλᾶκα τι καὶ πολύδωρον.
Sic tu in xyſto partim & umbratili meditatione ſpatiatus, partim etiã in prælio & in periculis conflictatus, nunc cum iſtis induſtriæ manus conſerendo, hinc cum illis curſus animorum experiẽdo, mox cum aliis ſubtilitate mentis confligendo palmas innumerabiles meruiſti, quarum cùm ſingulæ nobilitatem nominis pepererũt, tum uerò corona Olympiaca, quam pręmij cauſa tibi ab Agonotheta contextam denuncio, æquale Neſtori Græco æuum, famámque immortalem iam inde fœliciter ominatur.

AD ANTONIVM PRVNErium Lingonenſem.

PINDARVS ad ſingulare Pſaumidis encomiũ ſe nõ audacius ſolùm, ſed etiam lubẽtius ideò profitetur accedere, quòd amicorum rebus præclarè geſtis neſcio quo modo affici, proſperaque eorundem fortuna lætari iucundiſsimè ſoleamus. Id ego quidem, Auditores grauiſs.

ſentio mihi nunc in Antonij Prunerij perſona uſuueniſſe, cuius recordatione cõſpectuq́ue ita delector, ut ſi tantùm dicendo, quantũ poëta ille modulando poſſem contendere, facerem profectò ut intelligeretis eum me eſſe, qui honeſtati fauere, & beneuolentiam uenerari ſanctum, pium & religioſum ubiq; iudicarim. At non continuò mediocritatis meæ conſcientia deterritus obmuteſcam: uerùm alacri hilariq; animo pergam ad id, quod officio & neceſsitudine ſemel impulſus inſtitui, neq; committã vt Pſaumidis canendi iuſtior Pindaro, quã nobis Prunerij decorandi ratio ſubeſſe uideatur. Etenim nihil laudabile fuit in uetere illo Athleta, quod in meo Iatrogoniſta non idem multò inſignius queam oſtẽdere, nihil uirium in corpore, nihil uelocitatis in pedibus, nihil neruorum in lacertis, quod non in iſtius ingenio demonſtrare. Fuerint breuiter hæc Pſaumidis inclita trophæa, equos aluiſſe, ius hoſpitij & familiaritatis fœdus coluiſſe, quadriiugo curru Olympicam metam cõtigiſſe: alius in Prunerio mentis uigor, alia facilitas, & ſimili ferè in ſtudio illuſtrior dignitas apparebit, ſiue mores & innocentiam, ſiue ſudores & dili-

diligentiam contueamur. Magnum eſt & immenſum in luce Academiæ, & doctorũ quotidiano contubernio eum ſeruare modum, ut nemini moleſtus, nemini grauis & iniurius habeare, nunquam niſi rogatus ſocietati tete immiſceas, nunquã niſi deſideratus à ſocietate excedas. Nam ut in epulis diuerſæ ſunt conuiuarũ uoluptates, neq; omnes uno ciborũ guſtu, ſed alij dulcibus, alij ſubamaris deliniuntur: ſic quoties uel ad agendum, uel ad colloquendum uenîmus, toties incerta de nobis iudicia, opinionum uarietate deprauata concitamus. Ex quo egregia quadam & diuina bonitate uigere illũ oportet, qui placeat uniuerſis quibuſcum res rationéſque coniungit: id quod ne Saturnio quidẽ Ioui, nedum mortalibus, ceſsiſſe unquam vulgari Græcorum adagio terebatur. Poteſt igitur, Auditores grauiſs. dubia eſſe Prunerij comitas & clementia, qui omni tempore ſic uel cum alieniſsimis hominibus uixerit, ut nullũ uerbo & leuiſsima contumelia uiolarit? vt inuidiam lepore, inimicitias obſequiis temperarit? Atenim (mihi obſtrepat aliquis) hæc, quæ narras, probitatis ſunt inſignia: nunc doctrinæ argumenta conſectamur.

Rectè

Rectè ſanè, & ualdè opportunè eò traducor, quò mea ſponte properabã. Non enim ſi uos huiuſce uiri cõdîta lenitate integritas recreat, multiplex eruditio, & diurni nocturniq; labores priuatim palamq; exhauſti minùs cõmouebunt. Quòd ſi Pſaumidi equorum cura & educatio laudi uertatur, proptereà quòd glorioſum boni patris familias nomen quondam putabatur, cuius tandem apud nos momenti puerorũ diſciplina eſſe debebit, qui quales ipſi euaſerint, talem aliquando Remp. uidẽtur informaturi? Quare Prunerij decus iſtud eſt ampliſsimum, quod eloquentiam & philoſophiam docendo iuuẽtutis ſuæ bonã partem in palæſtra Rhemẽſi, Harcuriana, Cardinalitia, Pleſſæa inſtruendæ iuuẽtuti nauarit: adeò ut plures ex eius officina, quàm ex ludo magiſtri Iſocratis gnaui artifices extiterint: qui hodie locorum ubiq; diſſeminati, præceptoris famam grata immortalique memoria proſequuntur. Interim cùm ſatis ſuperque commodis ſeruiiſſet cõmunibus, & de quærẽdo eligendoq; ſenectuti ſolatio anxius deliberaret, multaq; vmbratili commentatione inſtructus, & Syluij atq; Gopyli expertiſsimorum Aliptarum oleo unctus

ctus ſerium diſcrimen aggrederetur, obtulit ſe patronus beneficentiſsimus Auguſtinus Coteus, ſcholæ Cardinalitiæ, quouſq; in Cælitum religionem tranſiiſſet, moderator prudentiſsimus, qui Prunerium, expenſis eius pro Academia uigiliis, adoptãdum cenſuit, quem in Prytanæo ſuo liberaliſsimè foueret, ac Iatrico ſtadio ſeſe adſtringentem ſingulari munificẽtia ſuſtentaret. Verùm ô fragilem Fortunam, inanéſque conatus, qui medio in ſpatio ſæpè corruunt, & antè in ipſis fluctibus obruuntur, quàm portum proſpicere potuerunt! Ecce enim funeſto fato, & incredibili literatorum luctu moritur, qui te in ſuã clientelam fidemq; receperat, qui non ſolùm operam, ſi ſuperſtes ad hoc uſq; ſpectaculum manſiſſet, ſed etiam opem & gratiam indubitanter præſtitiſſet. Sed tamen, ut humana fers moderatè ac patienter, nõ protinùs ſpe deplorata à propoſito quieuiſti: contrà ut ſemper conſtantia magis atq; magis impetita uireſcit, & altius oppreſſa erigitur, aduerſus ærumnas ſortis uiolentæ firmiter ſubſtitiſti. Quocirca quemadmodũ Pſaumis ad Olympicum certamen quadrigis uectus ꝓceſsit, ac inde fauſto ſucceſſu beatior

tior rediit : ſic tu pariter quatuor gymnaſiorũ humeris , tãquã quatuor equis albis ſublatus in aciem , in diſcrimẽ, & ad inflãmatiſsimas de Medicina diſſenſiones exiiſti , uictoriam nũc demùm auſpicatã adeptus , ac in primis uictorum ordinibus poſtridie futurus , dummodo in præmiorum diſtributione fauor doctrinæ , munuſcula uirtuti poſtponantur . Ne quis autem me amico aſſentari , ac familiariùs paulò indulgere ſuſpicetur , Aud. grauiſs. teſtabor de Prunerio , quod de Pſaumide Pindarus, διάπειρά τοι βροτῶν ἔλεγχος. Vos itaq; appello q̃ intrepidè hactenus dimicarit, q̃ acriter vulnera inflixerit , quã artificiosè ictus & petitiones progymnaſiorum eluſerit . Statuant deinceps quod uolent Agonothetæ , quos tamen ſpero integros fore ac incorruptos iudices : Ego , quoad mihi ex officio incumbit, hac teſſera mercedem illi ſignifico deſtinatam , quæ ſi meritis reſponderit , calculorum æquitati benignè gratulandum : ſi fefellerit , nonnullorum flagrantiſsimæ ambitioni ſapienter ſibi cedendum exiſtimabit.

AD CLAVDIVM BALliuum Cabillonenſem.

DVo ſunt pręſertim, Auditores grauiſs. quibus Ariſtoclidem Aeginetã Pindarus extulit, manſuetudo & pancratium: quorũ alterum roboris, alterum probitatis eſſe, utrunq; uerò in uno homine rarum eximiumq; cẽſebatur. Fieri enim quamplurimùm ſolebat, ut contraria palęſtritarum & philoſophorum eſſent officia, cùm illi curanda in cute diſtricti tenerentur, quò bene niterent: hi de animo torquerentur, quò liberi extra corporis obſequium foras eminerẽt. Vix igitur unquã, niſi prodigiosè, accidebat, Athletam exiſtere, uita optimè affectum, ueritatis amãtem, & de honeſtate non iniquiùs ſentientem, quàm, qui ſapiẽtiæ leges, & regulam tutandæ ſocietatis dictitabãt. Quamobrem meritò Poëta miratur Ariſtoclidem, quòd omnium horarũ homo apud pueros puerum, apud uiros uirum, apud grandæuos ſenem temperatè agendo, morum lenitatem: tum quòd luctatione, diſco, curſu, iaculo,

culo, ſaltatione colludendo, uires & agilitatem corporis oſtentarit. Ego autẽ, ſi pluribus liberet in Claudij Balliui oratione diuagari, manifeſtò docerem quid in Iatrogoniſta uirtus poſsit, ſi fortioribus lacertis innitatur. Poteſtis ergo, Auditores grau. de illius prudentia in dubium uenire, qui homo per ſe notus, abſq; ulla maiorum cõmendatione res ſuas ad iucũdiſsimum honoris portum prouexerit? Poteſtis de illius doctrina ambigere, quẽ Hieronymus Lopius medicus clariſsimus, & Auinionenſes Guilielmi domum ſuam opima cõditione receperũt? quem celeberrimi huiuſce Academiæ doctores cognitione atq; colloquio dignum iudicarunt? Qui cùm in Auinionenſi & Monſpeſulano circo multùm ſudaſſet, poſteà Lutetiæ mathematicum puluerem attigit, atq; tum in philoſophia, tum in Medicina ſeipſum penit⁹ corroborauit. Deniq; artium cunctarum oleo imbutus, ut Ariſtoclides alter, & firmiſsimis humeris uideretur, ab illuſtri Guilielmorũ Auinionenſium familia, & Rhemẽſi gymnaſiarcho Theologiæ integerrimo Antiſtite adductus tandem fuit, ut publico ſpectaculo apertam ingenij ſui aleam tentaret, neq;

ab

ab iſtis ſpatiis deterreretur, in quibus alios proſperè cerneret altercari. Ac in iis per totum biēnium nō luctatoris modò, uel ſaltatoris, ſed pācratiaſtæ munus obiuit, cùm nihil in latiſsimo Medicinæ campo reconditum eſſet, quod in ſolē non ſtatim emitteret, de quo non ipſe ſocios percontaretur. Neq; uerò Ariſtoclides quinque genera ſacrorum ludorum toties frequentauit, quoties Balliuus noſter quinq; ſummas Medicinæ partes, qui nō cōtentus Phyſiologice, ut quidam: nō Aetiologice, ut pleriq;: non Therapeutice, ut fermè uniuerſi: ſalubrem inſuper & Simioticen modis omnib⁹ indagauit. Itaque qui tandiu, totque in ſpatiis certauit, donec periodū exercitationis abſolutæ cōcluſit, eúm ne præmio ſuo æquiſſimus Agonotheta defraudabit?

AD IACOBVM HVSTEVM Baiocenſem.

Aʼναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα,
τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;

Quid enim mihi non liceat, Auditores grauiſs. iiſdem Iacobum Huſteũ uerbis interpellare, quibus Pindarus elogium Theronis Agrigẽtini prętexuit? Nam ſi in hanc corporis & mẽbrorum figuram reſpicio, Alcibiadem quendam: ſi familiæ ſtemmata recenſeo, heroa generoſiſsimũ: ſin ad egregiè ſcientérque geſta propiùs me conuerto, non dicam Deum, ſed partum tamen aureum & cæleſtem mihi propemodum uideor, lętórque intueri. De vultu, quanquã index ſit animi, & adumbrata internæ pulchritudinis imago, nihilominus cõticeſcã, ne ut Lyſię orationem, quia parùm virilis eſſet, Socrates viriliter repudiauit: ſic meã uos quoque molliorem, & iſta loci ac perſonarum authoritate indignam ſtatuatis. Huc accedit quòd uana & inanis opera impenditur, ut externi foris colores arceſſantur,

ſantur, ubi perſpicuis propriarum uirtutũ pigmentis abundamus. Theron à Cadmo, & primis Thebarum conditoribus ſtirpis ſuæ antiquitatem repetit: non quæro quàm probabiliter, imò ne reluctor quidem quominus ſe diuinam ſobolem, & (ut quorũdã ſuperſtitio fuit) διόσκουρον iactet: licet in auorum ſplendore adeò inſolẽter antiquitas mentita eſt, ut nemo in Italia non à Romulo, Scipionibus, Fabiis, Metellis, Cæſaribus: nemo in Græcia non à Cecrope, Inacho, Epaminunda ſeſe profectum uenditarit. Quo uitio etiamnum laborant nõnullæ neſcio quorum populorum peſtes, lenones, ganeones, uenefici, exules, ex reliquiis Catilinæ ad hæc ſecula propagati, quos cùm domeſtica egeſtas, & ætas flagitioſiſsimè acta exterminarit, huc confluũt, & huc, ut Francica ſinit vrbanitas, ſuperbiſsimo ac regali faſtu dominantur. Tu uero, mi Huſtee, ut nihil confingas, ut modeſtiam tuam & natiuum pudorem retineas, tamen abundè celebris, atque cùm tua, tum maiorum dignitate cognitus eminebis. Alanus ille pater tuus, Herculis Eſtẽſis Ferrariæ ducis in agro Bellocaſino patronus, & frater, Regis Chriſtianiſsimi

aduocatus, uterque inter Normanos iuriſprudentes eloquẽtiſsimus, & inter eloquẽtes iuriſprudentiſsimus: deinde Baiocẽſis Diœceſis Cancellarius Oliuarius Conſeil, quem uerè à conſilij ſapientia ita ueſtrates nominarunt: denique grauiſsimi Fontanonus & Longanonus Cœnobiarchę, aliíque propinqui & affines ueſtræ familiæ Theronis, credo, nobilitati cõcedunt. Atenim propria laus hæc Theronis fuit, quòd ab ineunte adoleſcentia aſſueuit, benè aliquandò ut equis, optimè vt armis uteretur, & non niſi multa crebráque proluſione confirmatus ad legitimum diſcrimen prodiit concertaturus. Maius eſt adhuc quod tu uix puer annorum nouem à patre amantiſsimo Lutetiam deductus, Graium Latiúmque puluerem contriuiſti, & in utraque arena aduerſus quaſlibet progymnaſiorum technas teipſum toto adoleſcentiæ tempore inſigniter muniuiſti. Ac cùm ueterani in philoſophica & medica lucta magiſtri & aliptæ, Syluius, Gopylus, Olerius, Petreius, Duretus, Eques, ſecũdo quodam numine dextróque Mercurio tibi obtigiſſent, non eſt difficile augurari quid tantis gladiatoribus intẽtus profeceris, qui nullas

nullas unquam æmulandi, tentandi, conſerendi partes & tempora neglexiſti. Quare iandiu ad Iatria pręparatus, & ad omnẽ ingenij motum expeditus uidebare, niſi ſtudium illud, quod de communi utilitate procuranda concepiſti, paululùm te à priuatis ſtudiis ad docendi munus, & bonarũ literarum exercitationem reuocaſſet. Itaq; magiſterij, ut uocant, lauream, & gymnaſticæ profeſsionis libertatem adeptus, primùm Rhetorica & Philoſophica in Harcuriano circo, deinde Philoſophica in Lexouæo per decem annos continenter tractaſti, ea de te apud omnes concitata exiſtimationis fama, ut unus in Academia iudicareris, qui laborioſiſsimè prælegeres, qui auidiſsimè in iuuentutis fructum incumberes, qui Græca cum Latinis, philoſophiã cum eloquentia, ſermones cum rebus aptiſsimè coniungeres, qui denique in Ariſtotele interpretando, præcepta diſſerendi euidentiſsimis mathematicorũ exemplorum demonſtrationibus illuſtrares. Interim dum hiſce in rebus deſudas, & in otio literarum negotioſè uerſaris, à Theologiæ doctoribus Orator deſignatus, & ſeptem Cãdidatorum præconio commiſſus fuiſti:

quorum cauſam ſic eleganter, ſic diſertè egiſti, ut cuncti, qui te audiuimus, incredibiliter miraremur, tantos lepores & floſculos orationis ab homine philoſopho & medico decerpi potuiſſe. Ex quo, tametſi ad iuris & legum ſcientiam, quæ tuę cognationi tam eſt hęreditaria, quàm olim eſſe ferebatur Scæuolarum, neceſſariis à patre argumentis diſtraherêris, in propoſito Iatriorum curſu conſtãtiſsimè perſeueraſti, nec tuorum precibus & blanditiis potuiſti dimoueri, ut ab Academia Pariſienſi, quæ te præter ætatem tuam & mortalitatẽ iam diuinis honoribus affecerat, & mox ſummum illum Rectoratũ, quaſi trimeſtrem Dictaturam deſtinabat, unquã diuelli poſſes, atque ut à Medicinæ prę ſidio deficeres quò in aliud diſcendi ſtadium inſana lucr & magiſtratuum affectatione inclinares. Prudẽter quidem (Iacobe Huſtee) ac conſideratè feciſti, ut in ea Academia, & ſtudiorum acie pergeres colluctari, cuius cuſtodiam tibi Natura demãdauit, uolunta reſeruauit, diligentia laborq; conſecrauit, & in qua toties ea virium & agilitatis documenta ediditi, ut parùm abſit quin Herculis columnas attigeris, iam compluriũm

celeritatem

celeritatẽ curſu ingenij prȩteruectus. Macte igitur uictoriȩ cõpos expecta brauium, nõ oleaginam Theronis coronam, ſed uirentem Agonothetæ lauream, cuius floribus capite redimitus geſtias in poſterum, & non modò apud Baiocenſes nunquam intermoritura opinione donatus, uerum etiam tota Gallia peruagatis virtutum & doctrinȩ titulis exornatus, patria, literis, amicis, uita, ac longè dulciſsima doctiſsimorum & principum uirorum conſuetudine quamdiutiſsimè perfruaris.

AD NICOLAVM ODOARdum Lutetianum municipem.

ETſi in vrbibus molli cultu ad ornatum & humanitatem ciues educẽtur, in pagis arido uictu, & manuum callo ſenſus retundantur: tamen impiũ eſſet aſſerere, Auditores grauiſs. adeò iniquè in Dei Opt. Max. cõcilio deliberatũ, ut pro loci & maiorum conditione noſtra ingenia uel ad Reipu. culmen euehantur, uel ad ruris humilitatẽ neceſſariò demer-

gantur. Contrà obſeruatum antiquitùs, & hodie adhuc uſitatum ac frequens eſſe intelligimus, ut agricolarũ filij propter doctrinam in ciuitatum gubernaculis ſedeãt, at Patritij adoleſcentes exinanitis familiæ opibus ad aratrum perditi relegẽtur. Quis enim neſcit quoddam apud Romanos ſeculũ fuiſſe, cùm in opere Fabritius & Dentatus per legatos ſalutarẽtur, qui Dictatores fierẽt? cùm ex aratoribus oratores procrearentur? cùm uita ruſtica parſimoniæ, officij, iuſtitiæ magiſtra, & aruorum cultura, non arte, ſed cœleſti ſpiritu percepta crederetur? Poſſem & ipſe huius, quanuis corruptiſsimę, tempeſtatis quamplurimos nominare, tenui fortuna, & genere ſubobſcuro, qui dignitatem ſibi, uiamq; in ueſtrũ ordinẽ, & multò ampliſsima ſenatus ſubſellia authore induſtria repererũt. Sic igitur ſe res habet, ut quemadmodum ex horridis dumetorum ſpinis roſæ, & ex præruptis montium uiſceribus gemmæ eruũtur: ita etiam ab humili propagine clariſsimi uiri dimanẽt, qui eò plus quàm urbani ſapiunt, quò in ſapientia diligentiorem operam ſtudiumque collocarunt. At ne prolixior, ſi exempla ſubiiciam, ſermo protrahatur,

hatur, Auditores grauiſs. duos pro multis ſumam, Glaucum palæſtritam, & Odoardum Iatrogoniſtam, utrumque colono parente ortum, ac nihilominus in ciuitatibus inter honeſtos annumeratum. Quid enim Glaucus in Græcia florentius adipiſci potuiſſet, quàm ut in Olympiis palmâ æmulos omnes fruſtraretur? Adeò ſiquidem ſolennis & magnifica ſacrorum ludorum uictoria fuit, ut pluris haberetur, certaminis coronam inter Athletas meruiſſe, quàm ciuilem inter Areopagitas magiſtratũ obtinuiſſe. Nolim ego tamẽ Glauci gloriam tantoperè uerbis exaggerare, ut non Odoardus ex comparatione illuſtrior relinquatur. In quo ne tritis nonnullorum ueſtigiis inhæream, qui ridiculè integros totius uitæ commentarios deſcribunt, pauca ſummatim cõplectar, cætera largiter in uniuſcuiuſque ueſtrûm iudiciis infixa commendabo. Is itaque à patre chariſsimo Lutetiã miſſus, ſedulò & aſsiduè nauauit, & breui interiecto tempore ſocios acumine, magiſtros ſolertia ſuperauit. Paulò pòſt philoſophica laurea ornatus, ut aliis rependeret quod ab aliis antè acceperat, ludũ aperuit in palæſtra Caluica & Barbarana, ubi iu-

 uenibus

uenibus aliquot annos eruditis, præmij gratia, conſpirantibus comitiorum ſuffragiis, præſes Academiæ, Muſarum Gallicarum Apollo deſignatur. Quem honorē ſic prudenter, ſic accuratè geſsit, ut ſi perinde noſtræ gentis, ac uetuſtatis facinora deoſcularemur, meherclè iſtius Rectoratus, nō aliter quàm Ciceronis Cōſulatus iactaretur. Dicam enim quod ipſe audiui, quod uos teſtari poteſtis, nullius unquam maiorem conſtantiam, & grauitatem in dicendo extitiſſe, quàm nuper Odoardi, cū in ſuprema Curia cauſam Academiæ & Rectoriā authoritatem defendit, quæ à quibuſdam inſciis, & à Muſarum ſalute auerſis nebulonibus pertinaciſsimè oppugnabatur.
Hîc exundauit aureū eloquentiæ flumen: hîc extorta eſt opinio, quæ de noſtris doctoribus inueterauerat, nihil illos præter ſcholaſticā latinitatē ſonare, neminemq́;, niſi forenſes Rabulas in legitimis diſceptationibus præpotentem. Quid poſteà Odoardus? Sedatis magna ex parte litibus, & otio literis reſtituto, faſces ſummittit, quò liberius Iatricum curriculum ingrediatur, cui ſe iampridem meditatus accingebat. Atque in eo quidem ſubinde cum ſingulis
Pro-

Progymnaſiis confligendo, bis autem uniuerſorum impetũ ſuſtinendo, tantum ſpecimen præbuit fortitudinis, ut non minus arduum vulgò uideretur cum Odoardo, quàm olim cum Glauco aut Coryco colluctari. Quamobrem, Aud. grau. ſi Glauco, qui uires quidem firmas, ſed parùm neceſſarias attulit in arenam, Hellanodicæ ſtatuam erigi cenſuerunt, quid uos de ueſtro Iatrogoniſta decernetis, qui animi facultatem decoram ſibi, cunctoq́; admodum orbi ſalutarem in Medica pugna declarauit? Id uerò nõ inficiatur Agonotheta, qui hominem per me hortatur, benè ſperet de reliqua ætate, ut eam deinceps tranquillam, ſpemq́; æquabilis fortunæ à Diis immortalibus exoptatam conſequatur.

AD IOANNEM ROchæum Heduum.

AQua in elemẽtis, aurum in metallis, & ſol in ſyderibus, Audito. grau. tãtum principatu ac neceſsitate præpollent, ut ex iis mortalium uita, cultus

cultus & uoluptas propemodum conſtet atque proficiſcatur. Nam & aqua tum corporum formæ coaleſcunt, tum etiã nutriũtur, ut non fruſtrà eam nõ modò ex initiis rerum vnum, ſed initium per ſe ac unicum Thales Mileſius aſſeruerit: & pecunia opportunæ bonorum cõmutationes & mercaturæ conneсtuntur, ac tanquam aurificis ſtatera æquabiliter libratæ hominibus inuicem communicantur: & ſole arbores, tecta, fruges, cuncta deniq; cæli ſoliq; animantia colluſtrantur, ut nõ iniuria dux & moderator luminum reliquorum, oculus mundi & temperatio à Philoſophis appelletur. Hæc Pindarus Hieroni Syracuſio hymnum concinens ad Olympiorum excellẽtiam, & Hieronis præter cæteros curſores nobilitatem amplificandam attigit: quæ in meam quoq; Iatriorum actionem, & in iſtius uiri perſonam competere deriuarique poſſunt, niſi metuendum ſit, ne Medicorum artem magnificentiùs extollendo, Iuriſprudẽtiæ noſtræ ac Theologiæ ſua dignitas detrahatur, aut certè imminuatur: né ue Ioannem Rochæum cũ aliis progymnaſiis componendo, præpoſitum illum fuiſſe, longoq; pòſt interuallo reli-

ctos

ctos ſe deſpectóſque conquerantur. Veruntamen (ut Iatrogoniſtarum, quibus æquè conſultum uolumus, mutua collatio, uitandæ inuidiæ cauſa, ſileatur) affirmabo, & hoc pace omnium ueſtrûm, qui adeſtis, arctiſsimè tutabor, nihil in Syracuſio Rege tam eximium fuiſſe, quod non iſte ſubtili mentis acumine, diuturna exercitationis aſsiduitate, infracta ſtudiorum cõtentione ſuperarit. Hiero à modorum cantu, & ſonorum, qui ſub aurium menſuram cadũt, elegantia perbellè celebratur. Erant enim priſcis maiorum ſeculis haud paruo in precio, qui uocum dulcedine fidiumq; cõcentu populum demulcebant: ex quo ſolennis ritus in ſympoſiis citharam pulſandi obſeruabatur, quã qui recuſaſſent, ob id (quemadmodũ de Themiſtocle accepimus) imperitiores habebantur. Sed tamen artium humaniorum complexionem, quæ ab antiquis uniuerſo Muſices ambitu includebatur, eò pluris æſtimari decet, quò magis eſt in toto genere, quàm in ſingulis duntaxat partibus elaborandum. Quem igitur mox Ioanni Rochæo applauſum pręparetis, qui modulos omnes actionum, & ſentẽtiarum neruos percaluit? qui æqualibus interuallis elo-

eloquẽtiæ, philoſophiæ, poëticæ, medicæq́; ſcientiæ melos conſenſumq́; nouit dimetiri, & tanta conſilij atq; iudicij moderatione vti, ut viciſsim tria nobiliſsima Academiæ gymnaſia, Burgundianum, Rhemenſe, Becodianum nõ inertius, quàm Hiero locupletem Siciliam adminiſtrarit? Quòd ſi per tẽporis anguſtias, ueſtramq́; in auſcultãdo æquanimitatem, pedi, ſicut dici ſolet, calceũ, & parem meritis liceret orationem accommodare, ultrò id apud uos pleneq́ue perficerem, quò Rochæi aluearia mellitiſſimis fauis referta delibaretis. Fuit aliquãdo apud ueteres honorificũ, propter imperij authoritatẽ, in Græcia naſci: vnde peruulgata eſt Philoſophi iactatio, quòd potius in Græcia, quàm Scythia, quòd Athenis potius, quàm in alia Græciæ prouincia natalitium ſpiritum traxiſſet. At iſte, ſi patriæ decus ad ſolidã cõmendationem nonnihil pertineat, Heduorum ciuitatem Cæſari amicam, Romanis fœderatam, doctorum linguis & ſcriptis ornatam oſtentabit. Adhæc auos, parentes, propinquos, non fumoſis imaginibus, ſed famæ titulis & virtutum inſignibus celebres inclitóſque reuocabit. Hinc ſi ad ea, quæ propius nos attin-

attingunt, excelſas intelligentiæ uires delabatur, quot ſimulachra prudentiæ, quot eruditionis pignora ſudoribus collecta exhibebit? Enimuerò nequicquam me torqueo, qui in cancellos orationis breuiſsimæ, uelut in piſtrinũ, eius uiri triumphos coner compingere, qui nullis regionibus definiuntur, ſolis orbis totius finibus latè diſperſi comprehenduntur. Cogitate igitur (ueſtrę ſiquidem cogitationi cõmitto, quod capere nullius in dicẽdo fœcunditas poſsit) uirum aliquem adminicula corporis, animíque dotes gnauiter excolentem, iniuriarum patientem, ſolertia & ſagacitate præditum, eloquendi lenociniis & poëtarum riuulis exuberantem, quouis artium, & liberalitatis flore copioſum. Is enim mihi, ſi quiſquam, erit Ioannes Rochæus, abſque fuco uiuis coloribus Muſarum penicillo depictus, & à Deo deſtinatus, in cuius capite, ut in Amaltheæ cornu, fons honeſtatis, idea officij, diſciplinarum penu reconditum lateret: unde Rochæi cognomen non ſorte temeraria inſitum, ſed cœleſti afflatu inditum ſumpſiſſe uideatur. ita me Dij amẽt, niſi uererer aſſentationis ſuſpicionem, nunquam eius laudum

comme-

commemoratione ſatiarer: atque ut ſobrij conuiuæ ſolent in quantumuis oppiparo ferculorum apparatu ad explēdam famem uno cibo eſſe contenti, plures horas in huiuſce mentione non inuitus conſumerem. Verùm quoniam longi adhuc itineris uia hodierno die obeũda reſtat, deſiderio meo ſuperſedendum eſt, illucque iam, quò me reliqui progymnaſij uocant, citiſsimo gradu feſtinandum. Agite uerò, Aud. gra. in altera libræ Critolai lance Hieronem Syracuſium, in altera Rochæum Heduum, & utriuſque uictoriam imponamus: uter tandem, aut utrius amplitudo prȩponderabit? Nã tametſi magnũ ſit, quod ex equo nullis ephippiis, nullis habenis coërcito athleta Pindari pugnauit, curſúque à carceribus inito metas trãſiliuit: multo nihilominus admirabilior Iatrogoniſta noſter ȩquiſsimis rerũ Cenſoribus uidebitur, qui ſola fretus induſtria, nullius auxilio ſubleuante primũ Rhetorici & Philoſophici pulueris moleſtiam multos annos: deinde Iatrici curriculi difficultatē bienniũ exantlauit. Quapropter ſatis eſt, quod hucuſque tolerauit, reficiat ſe à negotio in poſterum, & fruatur ſuauiſsima trãquillitate, ac præmio

mio

mio ab Agonotheta auctus, in honorum & otij portu conquieſcat.

AD MAVRICIVM Cordatum Rhemenſem.

ISocrates ſummus præcipiendi magiſter, Auditores grauiſs. pueros bona indole, ac præcipua ingenij fœlicitate præditos θεῶν παῖδες ſolitus fuit appellare, quia facilius quàm cæteri ad diſciplinam flecterentur, atque à Mercurio & à Minerua informati, nõ ab homine progeniti uiderẽtur. Sunt enim plerique adeò craſsi & hebetes, ut ſi diurno nocturnóque opere incudem eandẽ tundant, nihil omnino eliciant, natura refragante: alij è diuerſo ſic habiles & prompti ad intelligendum, ut rapiant celeriter quicquid legendo, audiendo, uidendo uel leuiſsimè animaduertant. Hęc ego cùm in Hippocleæ elogium nuper incidiſſem, apud me admirans reputabam, quòd ille à Pindaro uix ex ephebis egreſſus inter Athletas Diaulodromos referatur, iíſque laudibus exornetur, quas ne in uirum quidem poſſe competere exiſtimabam. Atque vbi

vbi poſteà in Cordatum attentius reſpexiſſem, tum demùm meam ſententiam, quę ab Iſocrate perſuaſa iam animo inſidebat, tenaciter confirmaui. At nec ipſe Pindarus negat Hippocleam auſpicio Apollinis ſupra ætatis vires perfeciſſe, ut ad diaulũ admiſſus progymnaſios uelocitate anteiret. Quare diuino quoque beneficio tribuamus oportet, quòd Cordatus iſta iuuenili pubertate maturam & deflexã multorum ſenectutẽ eruditionis uarietate adæquarit. Veruntamen benigna indoles, tanquam agri feraces, cultura indiget, quò uberiores fructus reddat, & ſtylo artium liberaliſsimarum acuẽda eſt, ne torpedine langueſcat, ac igniculi naturaliter inditi negligentia extinguantur. Quamobrem noſter Iatrogoniſta, ſicut legitur de Hippoclea, parentum munificentia ingenuè a tenellis unguiculis inſtitutus, primũ Rhemis (nam ibi natus eſt prætore vrbano, celebri vrbe & copioſa, honeſtiſsimíſq; literis abundanti) deinde Lutetiæ omnem didicit Rhetoricę & Philoſophicæ rationis exercitationem. Pòſt, ubi tyrocinij rudimẽtũ poſuiſſet, & gymnicæ profeſsionis iura impetraſſet, in ampliſsimis Burgundionũ

&

& Becodianorũ ſpatiis aliquot annos grauiſsimum aliptę munus factitauit. Porro recordatus illud Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει, confeſtim ad Iatricum ſtadium diuertit, ut in quo deliberationis ſuæ ſcopum defixiſſet, in eo potiſsimùm conniteretur. Quis enim operæpretium non duxerit, ut poſtquam de futuro curſu ſtatuerimus, ad eum noſtra conſilia, uigilias, cogitationes à pueritia dirigamus? Nunquam equidem cum illis prouidè actum arbitrabor, qui adoleſcentiæ florem & neruos in nugis atq; minutiſsimæ operæ concertationibus inſumunt, pòſt effœto iam & uieto corpore, ſtupríſque debilitato, forum, caſtra, clamorem, Iatria meditantur. At uerò laudanda Romanorũ conſuetudo, apud quos ab incunabulis qui Curiæ uouebantur, de duodecim tabularum legibus balbutiebãt: id quod ſimiliter ciues Toloſani liberos ſuos æmulari uoluerunt. An non & apud Perſas uenationi ad ſpeciem bellicam infantes aſſueſcebant? in Græcia, luctandi, ſagittas uibrandi, diſcos iaciendi uſum à præfectis docebantur? Rectè igitur Cordato hactenus conſultum eſt, ut medicinę inſtitutum opportunè capeſſeret, ut totum ei

ſe dederet, neque in Grammaticorum & Rhetorum puluere, ut faciunt complures, qui prudentiſsimi ſibi uidentur, imprudẽtiſsimè conſeneſceret. Quapropter Syluio, Gopylo, Laſileo, Petreio, Dureto, expertiſsimis Iatriorũ rectoribus ſeſe ungendũ & expoliendum conſecrauit, iíſque medica ſigna tollentibus ſeptem annos ſtrenuè militauit. Quòd ſi ſchola Philoſophos, iudicium Oratores, officina artifices, palæſtra pugiles abſoluit, ambigere non debemus de Cordato, quin tanto tempore, tanto ſtudio, tantis doctoribus magnam in diaulo Iatrico celeritatẽ fuerit aſſequutus. Etenim ad ſuperiora ut Hippocleę Thorax amicus, uel ut Aeſculapio Chiron centaurus: ſic iſti Stephanus Iuſtus, utriq; noſtrũ præceptor in eloquentia eloquentiſsimus, conſiliarius & hortator acceſsit, à quo uehementer ubique incitatus nuſquam potuit cura & ſudoribus defatigari, nullo unquam à carceribus impedimento retardari. Nam tanta in homine vultus ſeueritas erat, vt eius conſpectu ab otio, à luſu, ab intempeſtiuis conuiuiis, à pila, & iis cupiditatibus, quæ reliquorum mẽtes occupatas detinent, auocatus, nihil niſi laborem

in uita, nihil niſi laudem in officio moliretur. Poſtremò, Auditores grauiſs. talibus monitis, adhæc continenti agitatione, multorúmq; pręceptis ritè præparatus, atque (ut ſciens poſſum uerè profiteri) oleo doctrinæ, quemadmodum Iatrogoniſtam decet, toto corpore delibutus, hoc ſtadiũ, quod eſt quaſi Hippocleæ diaulum, biennio, uelut duplicato geminóque curſu pererrauit. Quid ergo? Pindarus Hippocleę patri cenſet geſtiendum, quòd filium adoleſcentem uiderit uictoria cohoneſtatum: nec tandem lętabitur pater Cordati, cùm illum audiet demenſo curriculo ad metam perueniſſe?

AD CLAVD. CARLOTVM Nouiodunenſem.

MIramur Pindarum, Auditorçs grauiſsimi, & egregium ſcriptorem profitemur, qui ita creber eſt rerum frequentia, & ita uerborum numero aptus & preſſus, ut ambigamus utrum res oratione magis, an uerba ſententiis illuſtrarit. Miramur itidẽ palæſtritas, & quã-

uis ignotos ac iam diu fato extinctos propter uirtutem dignos arbitramur, quorum memoriam ſæpenumerò recolamus, nulláque longinquitate ſeculorum obliterari patiamur. Meritò fortaſsis, & id quidem, meo iudicio ualde ſapienter, ſi modò caueamus, ne ueteres immodicè prædicãdo, noſtrorum hominum geſta penitus obliuiſci, aut negligere uideamur. Nam quæ amentia eſt tam ſiniſtrè meritam de poſteris parentem Naturam cõcedere, ut collatis in maiores omnibus pignoribus & prædiis, nihil reliquum uoluerit ex locupletiſſima hęreditate ad nos peruenire? Quare laudentur illi qui & armorum potentia, & literarum ſcientia antiquitus floruerunt, ſed tamen ita laudentur, ut noſtræ tempeſtati ſua officia relinquantur, & officiis neque merces, neque gloria derogetur. Vos itaque, Aud. grauiſs. vt Pindarum Opuntio Epharmoſto hymnum pangentem legatis auidiſsimè, nihil moror, dum mihi eam beneuolentiam tribuatis, ut de Carloto breuiter dicentem priſtina patientia & benignitate auſcultetis. Nam quid eſt adeò eximium in Epharmoſto, ut unicè debeat inculcari? atque, ut loquitur Poëta, generoſ

roſo equo & alata naui per terras & maria diuulgari? Natus eſt primùm in Opunte patria, ubi Themis honeſtatis dea, & æquitatis alumna ciuitatem moribus optimis fundauit: tum à patre ad palæſtram miſſus, in eaq; multùm aſſuefactus, Pythico & Olympico ludo uiciſsim coronā luctatione reportauit. Nihil inſuper Pindarus de ſuo Athleta cecinit: at ego poſsim plura in meo Iatrogoniſta notare, quæ nemo ueſtrûm non excellentiora aſſentiatur. Occurrit Picardia, regio non ſoli fœcunditate & vrbium pulchritudine duntaxat: uerumetiam armis, religione, ac inſtitutis clara, in qua & belli propugnacula, & pacis ornamenta, ac Imperij Francici perfugia petuntur: in qua ueneratio Cælitum, & utiliſsima Palladis Martíſque ſtudia feruent: in qua denique ciues conſtantia, fidelitate, iuſtitia incliti uiſuntur. Occurrunt etiam iſtius parentes, inter Picardos fama inſignes, artificiis noti, opibus affluentes. De quibus non agam plenius, ne onus uidear deſerere quod eſt mihi impoſitum, ut nihil attingam quod non viri proprium ſit, ut nihil extrinſecus requiram, quod cum aliis oporteat communi-

cari. Eſt enim Carlotus huiuſmodi, ut quę Natura aut fortuna impertiuntur hominibus, in iis rebus ſe uinci animo æquo ferat: quæ ipſi ſibi homines parare queant, in iis ſe uinci ferre non poſsit. Semper, mihi credite, animi ea magnitudine ualuit, ut quandiu in Academiæ luce, & in eruditorum collegiis uixit, nulli unquam ceſſerit, tametſi de ſe modeſtè ſenſerit, primas ubique partes obtinuerit, atque ſiue philoſophicam aciem in ſchola Pleſſæa, ſiue Rhetoricam in Montana tentarit, non minoris habitus in hoc Mineruæ concilio fuerit, quàm Carolus ille Magnus, à quo cognomen duxit in latè patenti orbis domicilio. Quapropter per omnes honorum gradus ad faſtigium Rectoratus aſcendit: quæ dignitas nemini permittitur, qui non Rempublicā literariam infinitis antè obſequiis deuinxerit, & per multos annos in ſcientiarum cultu impensè uacarit. Nam qui Rectoratum in ſacratiſsimo Lutetiæ Palladio decenter adminiſtrarit, huic in dominando non deerit prudentia, quemcunque in ciuili Senatu magiſtratum ſortiatur. Eſt aliquid maius quàm quidam rentur, præſidere Muſis, & principem

occu-

occupare locum in ea Academia, quæ quia vniuerſitati moderatur, & unde ipſa regatur leges ac iura præſcribit, rectè à Gallis familiari uocabulo Vniuerſitas nũcupatur. Conferte iam, Auditores grauiſs. Epharmoſtum cum Carloto, ac vtriuſque facta & titulos penditote: nunquid tandem illius municipium, Picardiæ: dotes, Rectorio iſtius elogio reſpondebunt? At ulterius pergamus, & ad extremum certamen progrediamur, ſiquidem ex euentis hominum actiones & opera exploratiùs dignoſcuntur. Epharmoſtus in cœno apprehenſum aduerſarium, quîcum certabat, abiectum ſupplantauit. Eſto. Nam ſi colluctatio quidpiam commẽdationis habeat, quot Britones ſeſe uenditabunt, qui quoſuis Athletas manibus conſtrictos, tibiis implicatos humi proſternant? At ingenio pugnare, ſeptendecim Iatrogoniſtas alternis uicibus, & quamplurimos Iatrodicas excipere, nec pedem mouere, hoc qui faciat, non eum cum antiquis comparabo, ſed exquiſitis ſupra mortalitatem encomiis decorandum proclamabo. Quòd ſi nihilominus palmam Epharmoſtus pro exiguo uirium ſpecimine meruit, quod

præmium Carloto perſoluetur, qui toties in ueſtro cœtu cum ſuis progymnaſiis luctando inuictus ad hoc uſque ſpectaculum permanſit? Spero uos, Auditores grauiſs. non immemores ipſius futuros, quotieſcunque occaſio & poteſtas dabitur gratulandi, geſtiendi, applaudendi. Quod cùm præſtabitis, & ueſtra præſentia illum diem cohoneſtabitis, quo die lauream ab Agonotheta exiget, idem ſibi, quod Themiſtocles, perſuadebit, in quem cùm peregrini, qui coiuerant ad Olympia, oculos intendiſſent, ex eo dicitur bellorum, quæ pro Græcia geſsiſſet, ampliſsimam mercedem percepiſſe.

AD

AD IACOBVM PELETArium Cænomanum.

MAgnificam domum extructuri, Audito. grau. veſtibulũ marmoreis columnis fulciunt, ut ex aditu & limine totius ædificij ſtructura comprehēdatur. Hæc cauſa eſt quamobrem Pindarus in Ageſia curſore cõptius proœmium arceſsit, quod mihi quoq; in Iacobo Peletario deſiderandũ uideretur, niſi me nuncium & nomenclatorem uerius, quàm Oratorem illi mandatum meminiſſem.

Quis enim ignorat laneam tunicã Agricolæ, Regibus pallas purpureas decentius cõgruere: neq; in dicendo negligenter cauendum eſſe, ut pro humilitate uel authoritate rerum ac perſonarum commoda oratio depromatur? Nunc uerò, Auditores grauiſs. inquiet quiſpiam, quid Peletario & Ageſię commune eſt, cur inuicem à te conferũtur? Equidem non inficior ſi mores, qui pro viciſsitudine temporum mutantur, acutius intueamur, quãdam nõ modò inter iſtos, ſed etiã inter ſuperiores Athletas & Iatrogoniſtas

goniſtas diſsimilitudinem poſſe inueniri. Verùm ſatis, mea quidem ſententia, inſtituto defũgar, cùm paucis docuero perinde Peletarium in Iatriis, ac Ageſiã in Olympiis decertaſſe, & utriq; parem in pugna animum roburq́; adfuiſſe. Laudet igitur in curſore ſuo Pindarus vſum uaticinandi, & tum fortitudinem in ſubeundis periculis, tum in perferendis conſtantiam, quia neq; terra, neq; pelago citra diſcrimen uirtutes acquirantur. Quanquam quæ iſthæc Ageſiæ diuinatio fuit, ab Iamidis introducta, vt ex pellibus uictimarum, ſi recta in fruſta ſcinderentur, lætũ: ſin obliqua, triſte omen portenderetur? Quæ uerò eiuſdem uires, vt curru à mulabus ad metam traheretur, & impetus rotarum manu ſiſteret? Nam ſi ab euentis res ipſas metiamur, in promptu fuerit de Peletarij ingenio multipliciq́; peritia ex eo iudicare, quòd pleraq; extare illius operũ monumenta uideamus. Athletis propterea utilis futurorũ præſagitio cenſebatur, ut nõ temerè lacertos in arena periclitarentur, antequam de exitu aliquid proſpexiſſent. Non eſt enim ambiguũ certis diebus nos procliuiores, certis fieri tardiores ad quidpiam machinandum, ſiue quòd

quòd corpora non æqualiter perpetuò affi-
ciãtur, ſiue quòd cæleſtis quidã inſtinctus
animis influat, à quo ſiniſtri aut ſecundi
negotiorũ ſucceſſus impelluntur. Quare
Mathematicæ, quæ uocantur, diſciplinæ
cùm unicuique, vt Platoni placuit, literas
capeſſenti ſint neceſſariæ: tum iis perdiſcẽ-
dæ, qui puluerem Iatricum meditantur.
Numeris, criticæ febrium & morborũ ra-
tiones colliguntur: Geometria, figuræ, li-
neamenta, magnitudines, interualla, & ex
proportione, corporum habitudines abſo-
lutè percipiuntur: adeò vt ex ueſtigio pedis
quãtus ſit Hercules, & ex quãtitate qualis,
& quemadmodum conſtitutus eſſe debeat,
Geometrica fretus dimẽſione Medicus au-
guretur. Quàm idem ab Aſtronomia adiu
uetur experientia declarat, quandoquidem
ex ſyderum ortu & occaſu tam crebræ erũ-
punt in aëre mutationes, vt per eas potiſsi-
mùm morbi generentur. Qui autem ſtel-
larum naturas perſpexerit, malignos illa-
rum effectus repentè declinabit, & aduer-
ſus cæli inclementiam ſic corpora teget, ut
intemperiei & corruptelæ obſiſtãt. Adhæc
comperiet, ac in promptu expoſitam habe-
bit medendi aut nõ medendi occaſionem,
quia

quia potiones refragantibus aſtris parùm leuent, propitiis copiosè ac ſalubriter aluũ perluant. Itaq; Hippocrates quòd immenſum ex ſuprema Olympi contemplatione ad Medicinam emolumẽtum deriuaretur, apertè his uerbis demonſtrauit, οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Quapropter conſultò fecit Iatrogoniſta noſter, qui ſic cupidè Matheſin eſt amplexatus, ut nihil in ea ſit obſcurum, quod non illuminarit, nihil abſtruſum, quod nõ inueſtigarit. De cuius doctrina ne poſteri dubitarẽt, Archimedis nõ tantùm & Euclidis nodos ac numeros reſoluit, uerumetiam in Aſtrologia, & cũctis mathematicæ ſcientiæ partibus adhuc conatur, vt non ſecus in poſterum tractentur, quàm Ariſtotelis & Platonis ſeculo pueris ſtatim poſt prima elementa tradebantur: interim ne viaticum inſtanti ſenectuti deeſſet, Medicinæ iam diu ſe vouit, quòd illa mutuo vinculo & cognatione quadam ſimul cum mathematicis cõſocietur. Medicinam autẽ primùm Lutetiæ cognouit, deinde Lugduni fecit, unde, pòſt, in Italiam Briſſacus imperator, qui prouinciam Pedemontanam pro Rege adminiſtrabat, cũ aſciuit,

quo, ad ualetudinem, medico fideli, & ad bellicas ſuſceptiones mathematico perſpicaci uteretur. Eſt itaq; Peletarius, Audito. grauiſs. nõ tyro neſcio quis, non Neoptolemus & rudis miles, ſed exercitatus Iatrogoniſta, & multis palmis alibi exploratus, & ad hæc Iatria iampridem munitus, ſi ad modum Ageſiæ prius currum ex mulabus iungere, ac apparatũ certaminis adornare potuiſſet. Quamlibet enim gnauus ſis pugnandi, quamlibet ad omnẽ gymnaſij ſpeciem expeditus, ad ſtadium non admittêre, niſi plauſtro inſignis, bene nũmatus & perbellè indutus apparebis: nec ſpectabere, niſi præſentiam ſpectatorum largitionibus, & lautitiis conuiuiorũ illaqueabis. Tãdem ergo Peletarius partim priuata induſtria, partim fratrum & amicorũ auxilio, humeríſq; ſubnixus, mularũ currum aſcẽdit, ex quo citiſsimè ad ſcopũ euolauit, coronam breui ab Agonotheta impoſitam geſtaturus, & ex hoc tempore mulam ſibi reſeruaturus, qua per vrbem uehatur in ædes ægrotorum.

AD NICOLAVM PEtreum Senonenſem.

QVi diuitias bene agendi miniſtras & comites ſtatuerũt, Aud. grauiſs. mihi pręclarè videntur ſenſiſſe, quoniam rarò altius ſcandunt, & ad virtutis decus rapiuntur, qui aduerſo Fortunæ flatu ac penuriæ anguſtiis conſtricti diſtinentur. Quî enim res magnificas, & liberalitatis ac iuſtitiæ officia gerat, cui pecuniæ non ſuppetunt, quas populo ad gratiam largiatur? Itaq; apud Romanos ordo & cẽſus eorum definiebãtur, qui ad Equitum & Senatorum decurias trãſibãt: & in Gallia haud facilè ad Remp. aditus egenis patet, ne inopia premente quæſtum ſordidè faciãt, & undiq; compilent, quo domeſticæ difficultati opitulentur. Quid uerò in Apollinis ſacrario, & Muſarum Regia? Vtrum locupletes ſoli dominãtur, pauperes à penetralibus excluduntur? Equidem vt fatear quoſdam tenui & infirma conditione in peritos aliquando emerſiſſe, plures tamen extitiſſe defendo, qui uacui cura & otio abundantes, nullaq́; uictus ſolicitudine

ne ſuſpenſi, quales ab Ariſtotele ſacerdotes Aegyptij deſcribuntur, ingenio libero artium principia nobis ſubtiliter pepererũt. Non temerè, Aud. grauiſs. hæc de diuitiis prætexui, propterea quòd quemadmodum Pindarus in Arceſilao, ſic ego in Petreo cõ peri, quid ab ipſis uel ad vrbana negotia, vel ad ſtudia literarum adiumenti proficiſcatur. Arceſilaus pro fortuna opima Carrothum aurigam nactus, curru duodecies curſum cõpleuit, etſi eo in certamine curſores pleriq; aurigarũ inertia concidiſſent. Petreus ſimiliter in adoleſcentia tantundẽ, quantum multi toto uitæ ſpatio profecit, Iatriorum uictoriam adeptus, quã vix ſperare audeant quadragenarij pugiles, qui in pugnis tot exerciti annos cõtriuerunt. Nã ſimul ac è cunis exceſsit, in Iacobi Tuſani officinam, ut in Socratis ſcholam Theagenes, puer uenit, ubi molliter & ingenuè enutritus breui tempore magnas in Latia & Græca arena uires, dicẽdiq; agilitatem conflauit. Beatum verò adoleſcentem, nec minus tali præceptore beatũ, quàm quondam Alexander Macedo ferebatur, quod naſci ſub Ariſtotele, ab eoq; limpidas philoſophici fontis aquas haurire contigiſſet,

Scitis

Scitis enim, Aud. grauiſs. atq; vtinam expertus ſcire potuiſſem, quàm familiariter Regius ille profeſſor, quàm abſq; fuco, ſemota procul doctrinæ oſtentatione, quam hodie nemo docentium non affectat, fideliter iuuẽtutem imbuerit, minimas quaſq; particulas, atq;, ut ferè nutrices ſolent, minutiſsima manſa in os inſerendo. Hoc vnũ nempe curabat ut publicæ utilitati ſeruiret, nihil ſtrepitum profanæ multitudinis venaretur, audientium conatus vrgendo, interrogãdo, exercẽdo promoueret, ut Græcam ſementem in agro Gallico ſpargeret, vnde poſteà fruges dulciſsimas meterem⁹. Is Francicus uerè Iſocrates, is Socrates Pariſienſis fuit, quo ſuperſtite viguit diſciplina puerilis, ſepulto, unà eodem tumulo benignitas profeſſorum obruta eſt. Quin ergo iterum fœlicem Petreum exclamo, cui Tuſanus theſauros omnes ſuæ ſapiẽtiæ demonſtrarit? cui ea cognitionis arcana detexerit, quæ ſophiſtæ noſtri, & perſonati doctores integumentis obuoluunt, ut magis à vulgo non intelligente ſuſpiciantur? Atq; hæc ſunt prima iſtius incunabula, & tenellæ pueritiæ rudimẽta, quæ deinde in Prellæo Petri Rami creuerunt, cùm ad verborum

rum lumen Philoſophiæ ac Medicinæ momenta acceſsiſſent. Cùm autem in notitiã artis ſuæ uelis remíſque incubuiſſet, eius faciendæ cauſa in Monſpellienſium Academiam conuolauit, quod ibi myſteria ſanitatis abditiſsima tum legendo explicentur, tum etiã in ipſa exercitatione propiùs obſeruentur. Etenim tyrones à ſapiẽtibus, & longo rerum uſu doctis ſenibus manu prehenſantur, & in opere diſcunt experiri, quæ potiſsimùm remedia ſalutaria ſint, quæ quibus morbis potiones adhibendæ, quoties, quando, & quorſum adhibendæ. Et certè leuiter admodum, aut nihil omnino proſunt magiſtrorum documenta, niſi quò pertinent, illuc dirigãtur, & ad ſubiectum exemplum applicentur. Imò, ut eloquar quod ſentio, magnificos ſemper diſputatores contẽpſi, qui paſsim quidẽ Galenum & Hippocratem perſonant, ſed nũquam ægrotum attingunt, nunquam herbarum & pharmacorum facultates inueſtigant: nec idcirco exiſtimaui eos Peripatetico Phormioni abſimiles, qui nunquam hoſtẽ, nunquam caſtra uiderat, ac nihilominus corã Hãnibale loquaciter de re militari diſputabat. Contrà Petreus ſciẽtiam

primùm, deinde curandi commoditatem & experimentum percaluit, & (ut ad terminos inſtitutæ comparationis redeam) gymnica conſuetudine corroboratus ad hæc Iatria demum remigrauit, atq; ad illa non quadrigis, quales Arceſilai fuerunt, ſed immenſo eruditionis plauſtro uectus, ſtadiũ biennio peragrauit. Deniq; Græcia præconij melos Arceſilao decreuit, quòd animum ætate meliorem pauiſſet, quòd in recta currus præcipitis moderatione lacertorum motus & corporis habilitates prodidiſſet. Opus eſt enim uiribus & alacritate ad domandos equos, ne à tramite deflectant, ne à ſcopo aberrẽt, ne aliò diuagentur. Veruntamen ut mentem bene componas, ut adoleſcentiæ ferociam cohibeas, ut ſerues mediocritatem, ut ad metam Iatrici curriculi appellas, eò magis connitẽdum, quò maiora in animo, quàm in corpore ſubſidia flagitantur. Quapropter ingratus ſanè ac iniuſtus fuerit Agonotheta, ſi Petreũ, quem doctiſsimi uiri fouerunt, Gratiæ aluerunt, uigiliæ perfecerunt, non ad lauream pro anteactis ſudoribus offerri ſolitam beneficentiſsimè concomitetur.

AD

AD NICOLAVM RI-cheletum Rhemenſem.

DIogenem Cynicum, qui homo facetus fuit, Auditores grauiſs. cùm interrogaretur, quonam quis pacto laudis compos fieret, reſpondiſſe aiunt, ſi gloriam contemneret, qua ipſe dignus maximè haberetur. Eſt enim gloria peruagata & illuſtris bene meritorum fama, quæ quò magis obruitur, eò erumpit magis, & uirtuti, quemadmodũ corpori umbra & imago, reſonat. Itaque quanuis Nicolaus Richeletus, ut eſt pudore ac uerecundia ſingulari, poſtulet nihil propemodum de ſe dici, an ego propterea tacitus illum præteream, cuius nomen tacente me in ueſtros oculos & ora euolaret? Is autem quoniam ridiculum putat ut præconio dignitas generis & fortunæ inſeratur, parebo quidem in hac parte, nec de parẽtibus eius, qui aliàs nobilitatis & rerum geſtarũ gratia ſunt tota Cãpania notiſsimi, quidquam delibabo: at non permittam ut æquius à Pindaro Alcimidam, quàm à me Riche-

letū oporteat prædicari. Fuerit enim iſtud Alcimidæ proprium decus ab amico Timida & Mileſia unctore diligi, qui homines fidelitate & gymnaſiorum peritia clariſsimi temporibus illis commemorabantur. Nam Iatrogoniſtæ noſtro nunquam viri graues, & ſcientia inſignes defuerunt, quorum conſiliis ſeſe mirum in modum in aggrediendo Medicinæ ſtudio incitatū, & in abſoluendo ſuſtentatum agnoſcit. Inter quos primo loco numerat duos diſceptationum ſuarum eruditiſsimos moderatores Antonium Fournium & Antonium Tacquetiū: ſecundo beneuolos præceptores Syluiū, Gopylum, Petreium, Brigardum, Duretum, Laſileum, Alemanum, hos inquam omnes teſtatur ſibi aliptas & amicos ſemper præfuiſſe, nihilq; unquam in uita ſibi auſpicatius obtigiſſe, quā quòd talibus uiris charus eſſe potuerit, quorum rumoribus uniuerſa Muſarum atria percrepant. Imò ſi quid ingenij aut exercitationis in Iatriorum arena explicauit, totū hoc, quātumcunque eſt (quod ſanè maximum eſt) refert illis magiſtris acceptum, quos authores ſibi fatetur quouis in negotio hactenus extitiſſe. At itá ne Nicolaus Ri-

Richeletus exiſtimationẽ refugiet, ut cuncta cæteris concedat, nihil ſibi ſumat, nihil arroget, nihil me de uiribus ſuis affirmare patiatur? Equidem nunquam uidi, nunquam legi, nunquam memini quenquam tantoperè ab elogio abhorrentem, quàm iſtum, qui quantum nonnulli deſcribi ſua facta pleniſsimè flagitant, tãtum uoluit ſua ipſius obſcurari. Atenim ego cùm ſciam Alcimidæ luctationem à Pindaro uerſibus mandatam, in Richeleti uictoria ſileam ut à collo apprehenſos æmulos, brachiis, lateríımque motu diſiecerit? ut arma inimicorum, & faces fortunæ uirilius obnitendo conculcarit? Hæc ut inuitus omittam, Aud. grauiſs. & alia quamplurima, quæ in Richeleto contemplor, ulterius perſequar, non ſinam tamen eum fruſtratum Agonothetæ præmio, quòd hac chartula uidebit ſibi peculiariter in circo Pariſienſis Antiſtitis reſeruari.

AD IOANNEM LIEBAL-dum Diuionenſem.

VIatores ſi quando in triuia incidunt, Auditores grauiſs. incerti hærent quod potiſsimũ iter ingrediantur, ut ſine errore quò tendunt, eò recta ſemita perducantur. Eadem me propè dubitatio angit in proxima Liebaldi mentione, in quo tot tamq; uaria occurrũt, ut quò perueniam ad id quod propoſui, neſciam qua primùm uia ſit in pręſentia inſiſtendũ. Egóne ab ortu & maioribus captem initiũ? At ille me generis ſui meminiſſe uetat, nec in ſua laude ponit ſi quid homines per ſe non pariunt, ſed ab aliis extrinſecus mutuantur. An adoleſcentiæ ſtudiis immorabor? At ea mauult in mentibus audiẽtium vt impreſſa cuſtodiantur, quàm in cuiuſquam oratione iactata repetantur. Quanquam ſi amor communis utilitatis, ſi curriculum ætatis in iuuenum cura tranſmiſſum ſuperioribus progymnaſiis exiſtimationi fuit, quid mihi nõ licebit in Liebaldo extollere, quod in Marchiana palęſtra Rhetoricum,

toricum, in Bellouaca philoſophicum puluerem contriuerit? Quid non quoq; licebit dies noctéſq; recenſere, quas in gymnaſiis trãſegit: ærumnas, quas tolerauit: ſudores, quibus arenam irrigauit? Veruntamen hæc vt liceant, mihi non ab hominis modeſtia permittuntur, qui potius de his, quorum liberalitate auctus eſt, quàm de ſe dici cupit, & alienam uirtutem in ſuo exemplo, velut in ſpeculo vultum, relucere. Quamobrem queẽadmodũ Pindarus in Thraſydæi Thebani encomio Semelen, Ino Leucotheã Cadmi & Harmoniæ filias cũ Herculis matre implorat, ut benignè faueant, & hymnum reſonantes uictoris fœlicitati aſpirent: ſic ego Liebaldi beneuolos Mecœnates lubens obteſter, ut clientis ſui laureæ interſint, cuius æſtus omni tẽpore miſerabiles recrearunt. Nunc ergo generoſiſſimæ ex antiqua familia Piſſelæorũ fœminæ, Maria ſacris virginibus apud Malumdumum Pontiſarẽſem præfecta, & Carola Comitiſſa Piſſelæa ſubeũt in mẽtem: quas fœminas ſi cum uoluptuario mulierũ Thebanarum choro comparem, ne ineptè faciam haud iniuria reformido. Illinc enim libido fluxit, hinc pudicitia: illinc facinus,

hinc honeſtas: illinc diſſenſio, hinc cõcordia: illinc denique multa fabularum argumenta poëtæ decerpſerunt, hinc ſcriptores veritatis imaginem poſſunt imitari. Pleni ſunt libri, ſtuprorum, quæ Iupiter cũ Alcmena, Ino & Semele turpiter perpetrauit: Pleni uerò annales, rerũ, quas Piſſelæi heroes domi foríſq; pro regno Gallico proſperè geſſerunt. Sed de his nõ eſt locus ut plura dicantur, quandoquidẽ in Mariæ ſolius gloria ſatis cumulata materies agẽdi oblata uideatur. Nã ne illud exaggerem, quòd virgo uenuſtate, opibus, nobilitate princeps Chriſto uirginitatis ſuæ florem dedicarit, eíq; lubentius quàm mortali marito puella mortalis nupſerit: ne illud, inquam, exaggerẽ, quod leuiter attendẽtibus rarũ & magnũ per ſe apparebit, quæ iſta eſt humanitas, ſapientia, bonitas, munificentia, uel ſi quod uerbũ ſignificãtius excogitari poteſt, charitas, miſericordia, ut ſtudioſos homines foueat, & noſtro Liebaldo patronam ſe ac alũnam hucuſque liberaliſsimã præſtet? Legimus fœminas apud antiquitatẽ interdum extitiſſe ingenuis diſciplinis inclitas, quin etiã huius tẽpeſtatis complures de nitore ſermonis & ſacra pagina continenter medi-

meditari. Hinc tres Corinnæ, Cornelia mater Gracchorũ, Sappho, Aſpaſia Mileſia, Cleobulina, Anaſtaſia, Euſtochium, & innumeræ iſtiuſmodi priſcis hiſtoriarũ monimentis cõſignantur. Hinc noſtra memoria, ut matronas mediocris fortunæ taceã, duæ Margaretæ lilij Francici roſæ odoriferæ, altera Nauarræorum Regina, & altera Philiberti Emanuelis Allobrogum Ducis vxor, memorantur. Verùm quis unquã audiuit ut veſtitũ & mollem cultum mulieres defraudarent? vt procliuius in Muſas, quã in torques & gẽmas pecuniam erogarent? Quî autem tale aliquid de fœminis audiatur, cùm ne Cardinales quidem, Epiſcopi, Antiſtites, qui ſacerdotiorũ prouentibus, quæ bona ſunt pietatis & literarũ, utuntur, vel, ut verius loquar, abutũtur, Muſas hoſpitio ſuo, nedũ miniſtros Muſarũ alimento dignentur? Fuerunt olim qui optimè de illis mereri auerent Mecœnates, qui re ipſa Mecœnates & patroni eſſent. Nunc deficiẽte, niſi fallor, cognitionis ardore, qui eruditos amplexentur, præter quoſdã poëtaſtros Lucianicæ impietatis flagitioſiſsimos inſtauratores, pauci omnino ex locupletibus nominantur. Quò magis unicam Mariæ

beni-

benignitatem decet admirari, quæ reſiduas à victu & cultu frugali copias iuuẽtuti eru-diẽdæ, neceſſariiſq; doctorũ uirorum ſumptibus impendit. Atenim, Aud. grauiſs. quiſpiam idẽ mihi obiiciat, quod de Simonide circunfertur. Aiunt enim cùm cœnaret Cranone in Theſſalia apud Scopam fortunatũ hominem, recitaſſetq; id carmen, quod in illum ſcripſiſſet, in quo quãplurima ornandi cauſa in Caſtorem ſcripta & Pollucẽ fuiſſent, nimis illum auarè Simonidem increpaſſe, ſe dimidiũ eius quod pactus eſſet, pro reliquo carmine daturũ, reliquum à Tyndaridis, quos æquè laudaſſet, ſi uellet, exigeret. At non itidem vereor, tametſi à Liebaldi perſona ſim aliquantũ digreſſus, ut id damno imputetur, quoniam volũtarium Iatrogoniſtis omnibus elogiũ decantarim, & Liebaldus ſe honoratiſsimũ fore reatur, ſi virgini ampliſsimę placuiſſe, totamq; Piſſelæorum domũ gratia deuinxiſſe, atque hac præſertim ratione conatus ſuos ad Iatria promouiſſe, ac proinde fructum laudis vltrò conceſsiſſe intelligatur. Sed tamen hoc ſibi propriũ iurè arrogabit, quòd Iatricũ ſtadiũ, ut Thraſydæus quondam Olympiacũ peragrauit, in eoq; uires

animi non ſine applauſu aſtantium multoties explicauit. Mathematici qui aſtrorum conuerſiones ſpeculãtur, eos, qui ſub Delphino in lucem eduntur, pedũ pernicitate ideo ualere contẽdunt: Phyſici autẽ quanto ſplen minor ſit, tanto nos alacriores fieri ratiocinãtur. Ego vtrũ Liebaldus ſub Delphini ſydere natus ſit, aut minus lienis habeat, nõ inquiro: uerùm mentis agilitatem expeditã hinc illi conciliatã affirmo, quòd vtraq; manu molem plũbeam, hoc eſt improbũ laboris onus pertulerit, quòd identidem in Medicorum ſpatiis curſum redintegrarit, quòd demũ uictor curſus lauream ab Agonotheta coram fidelisſima ſpectatorum concione poſtularit.

AD IOANNEM BORDONIUM Lugdunenſem.

QVi de hominibus ex eo iudicant, Aud. grauiſs. quòd lingua ſint hęſitãtes uel diſerti, perinde faciũt atq; ſi ſtatuas, quoniam appareant extrinſecus inauratę, aureas cõtinuò arbitrentur. Sic enim ſe res habet ut, quemadmodũ clarius

rius uacua uaſa, quàm repleta, tinniunt: ita parcius viri eruditi loquantur, cæteri uerborum ſonitus nulla ſubiecta ſententia neque ſcientia inanes effutiant. At uerò artes, quæ ſummæ nuncupātur, & ad uſum uinculi ciuilis conferunt, aucupia literarum, & ſyllabarum tendiculas reſpuunt, magíſque ex rebus & ex ueritate ponderantur. Nunquid enim Athleta garrulitate, non lacertis dimicabit? Aegrotus Medicorum clamoribus ac ſermone, non pharmacis & potione conualeſcet? Quamobrem meum ſemper de Medico iudicium fuit, quod Ciceronis de Philoſopho, ut ſi ualeat eloquētia, non aſperner: ſi egeat, non admodum deſiderem. Quanquam curiosè nimium ſimulacra & umbras rerum quidam ſectātur, qui quidem non attēdunt quæ precioſa ſunt, ea, ne polluantur, cordis penetralibus, uelut gemmas faſciis ſolere occultari. Fuit apud Atheniēſes nobilis pugil Dioxippus, iſto (ut opinor) cognomēto, quòd equos pariter & hoſtes acerrimè ſtimularet. Qui, etſi magna ubiq; in gloria eſſet, tamen Horrotas miles inermem eum conſpicatus, irriſum deſpectumque duello laceſsiuit. At Dioxippus accepta conditione

Horrotam lãcea truculẽter irruentem exigua primũ corporis declinatione uitauit, deinde ſtipitis, quem pro armis ſumpſerat, ictu peſſundatum mactauit. Quòd ſi Bordonius non iſtam linguæ uolubilitatẽ ambiat, quam nonnulli, qui curam ſuam in fuco & ornatu dictionis totam defixerunt, ne protinus eius ingenium, quod in ſolida Medicinæ ſcientia uerſatum eſt, inuidioſius eleuetur. Etenim quî obſcura illius doctrina eſſe poſsit, qui non modò ſucciſiuas horas, at etiam integrũ ſtudij tempus priuatis uigiliis tranſegit? Qui à ſtrenuiſsimo Equite Podiogarellio Regis Chriſtianiſsimi prægustatore fideliſsimo ad filium erudiendum fuit ingenti pretio inuitatus? Nam cùm optima hæreditas, quæ liberis à parente traditur, omni patrimonio ſecurior, eſt cognitio diſciplinarum, & æmulatio rectè factorum: tum maxima cautio adhibenda eſt, ut pædagogi, quales erant antiquitus, iidem docendo atque uiuendo præſtantes deligantur. Verùm locupletius adhuc acuminis & prudentiæ ſuæ ſpecimẽ Bordonius exhibuit, quãdo in Iatriis unus non Horrotam, ſicut Dioxippus, ſed ſeptẽdecim progymnaſios, & quoſlibet Iatrodicas

cas

cas ad pugnandũ admiſit, nulla ui, nullis machinis, nullis unquã illorũ inſidiis perculſus. Quoties uerò nõ ſagittis uocabulorũ, ſed fulminibus ſententiarũ aduerſarios oppreſsit, cùm ipſi vulnerũ dolore correpti ſibíque diffidẽtes arena excedere cogerentur? Cæterùm, Aud. grauiſs. pro frequenti agitatione, florentíq; uictoria, præmio ab Agonotheta poſtridie donabitur, eandem à vobis, quam Dioxippus ab Alexandro nominis celebritatem redempturus.

AD PETRVM RAVInium Lutetianum.

PRæcones ludorum gymnicorum, Aud. grauiſs. non ex ſophiſtis & poëtis de populo, ſed doctiſsimis quibuſque deligebãtur, qui palæſtritas orationis ſuæ iucunditate flecterent, & propoſito mercedis fructu ad uehementer dimicandum pro gloria ſtimularent. Sic enim facere Imperatores etiamnum uidemus, ut tubæ clangore ferocitatẽ equorum incẽdãt: ipſi autem acie ordinata promptiſsimos ad

prǽliandũ milites adhortentur. Ex eorum numero, qui uerborũ ſono & impetu linguæ ignauos erigere, fortes recreare in Olympiis iubebãtur, fuit Archias Hyblæus, homo Græca facundia inter Græcos ornatiſsimus, & inter Athenienſes vnus atticè imprimis diſerteq; loquutus. Vt uerò in fabulis hiſtriones multa cõſuetudine diſcunt eius perſonæ mores imbibere, cuius habitũ geſtumq́; crebrò in ſcena repręſentarunt: haud ſecus Archias grauiſsimo præconis munere aliquãdiu defunctus cœpit ardere deſiderio currendi, & laudes à poſteris repoſcere, quas anteà cæteris detuliſſet. Mirabitur fortaſſe quiſpiam, quorſum hæc ita ſum præfatus, quanquam ſi Rauinium, ad quem mea dirigitur oratio, bene nouerit (noſſe autem quiuis mediocriter eruditus potuit) vnà & mihi quod dico aptè inuentum aſſentietur, & neminem Archiæ ſimiliorem, quàm hunc Rauiniũ exiſtimabit. Etenim quæ certior hominum inter ſe ſimilitudo exiſtat, quàm uoluntatũ honeſtiſsimarum ſocietas, ſtudiorũ coniunctio & facultatis? Rauinius ab incunabulis parentũ beneficẽtia liberaliter inſtitutus, poſtquam ex Rhetorica & Philoſophica profeſsione

expe-

expeditam dicēdi diſſerendique ſcientiam & copiā contraxiſſet, in hacce palæſtra latrogoniſtas, non aliter quàm Græcus ille Orator Olympionicas ſingulari verborum delectu, exquiſitíſq; ſententiarum luminibus exornauit. Magnū haud dubiè munus, Aud. grauiſs. & penè omniū, quæ à noſtris doctoribus in Academia ſuſcipiuntur, difficillimum: omnium uerò quæ difficillimè peraguntur, unū, ut auſim affirmare, maximè ad agentis famam lubricū, & ad nōnullorum beneuolentiam minimè, ut licet experiri, gratioſum. Tu enim cum infinitis dierum noctiumq; lucubrationibus ad declamitandum parata cōmētatione ueneris, & audientium uoluptati penitus ſatisfeceris, nullum tamen iſtius officij præmium, præter inanem neſcio quem ſuſurrum conſequêre: at ſi uel crudo & malè affecto corpore, uel animo moleſtia præpedito tantillum in motu deliqueris, uoce irraucueris, vultu nimiā ſeueritatem indicaris, timendum continuò ne irriſus & exibilatus ad turpiſsimā dedecoris memoriam explodare. A quibus? A ruſticis & inſulſis nebulonibus, qui quoniam uirtutes exprimere non poſſunt, peccata contumelioſè criminantur:

criminantur. Quò magis magíſque noſtro Iatrogoniſtæ gratulandũ eſt, qui ſalua fama è ſcopulis emerſit, ad quos afflictæ quãplurimorum naues & naufragio depreſſæ corruerunt. Veruntamen periculo liberatus à periclitando non deſtitit, ſed ut fortiſſimum virũ decet continenter in laboribus & periculis exerceri, à diſcrimine rumoris ad capitis diſcrimen, & ad confertiſsimas Medicorum diſceptationes proſiliuit, motus, niſi fallor, Themiſtoclis acroamate, qui rogatus utrum Achilles an Homerus eſſe mallet, ſe Achillem malle reſpondit: uel etiam ad Archiæ exemplũ eas pugnas tentare uoluit, quarum prius ipſe laudator & ſpectator extitiſſet. Ineptus eſſem ſi qualem ſe in arena præſtitit, in præſentia refricarẽ, & è ludo egreſſum rurſus in ludum à calce ad carceres reuocarẽ. Longè uerò ineptior ſi de illius honore aſſerendo tàm ſollicitè cruciarer, cuius induſtriam experiẽtia, experientiam euẽtus cõprobauit. Quid enim plura de Rauinij contentionibus ſciſcitari aueatis, quem uos deſudantẽ hactenus ſuſpexiſtis? nunc eundẽ in triumphãtium ordine ſedentem cernatis? Cæterùm Archiæ Græco, propterea quòd in Olympiis uiciſ-

ſet, plebs ſtatuam locauit: ueſter Archias, qui ſtadium Iatricũ paulò uirilius percurrit, nihil mercedis inde flagitabit? Imò iam ab Academia Rectorios faſces, quos Gallici Apollinis inſignia maiores noſtri fore ſtatuerunt, pro innumerabilibus in Remp. literariam meritis obtinuit: mox etiam ab Agonotheta diuturniorem palmam, & à vobis honorificentius præteritæ uirtutis teſtimonium impetrabit.

AD PETRVM BELLOnum Cænomanum.

QVi viatorũ contentiones uituperant, Aud. grauiſs. Lycurgi authoritate fulciũtur, quẽ ciuibus ſuis inhibuiſſe aiunt, ne patria egreſsi in remotas ſedes demigrarent. At nõ expendũt id à legiſlatore cautum fuiſſe, ut leges ſuas ea ratione firmaret, cùm de aliorum populorum moribus nihil Lacedæmonij cõperiſſent. Aliàs enim dubiũ non eſt, quin vir conſultiſsimus ualde probaret commercia, quæ inter uicinos mutuò colligantur, in quibus inſita locorum vitia contrario vſu emen-

emendãtur, & inuicem ſalutaria uitæ ac Reip. gubernandæ inſtituta cõmunicãtur. Quapropter melius quidem uidetur ſanxiſſe Plato in eo, quem finxit, ciuitatis ſtatu, ut pueritiam & adoleſcentiã in vmbratili ſtudio Græci degerent, tum à trigeſimo anno inciperẽt experiri, ac proinde in perpetua peregrinatione reliquum æuum conſumerent. Vnde Hippocrates in Philoſophiæ ac Medicinæ gremio nutritus, ſolum vertit, & multas mũdi regiones perluſtrauit, ut in rebus præſentib⁹ exploraret, quęcunque de illis ſcripta legebantur. Id quod etiam à Democrito, Pythagora, & ueteribus philoſophis factitatum hiſtoriographi meminerunt, ut per terras & maria eò ferrentur, ubi ſperarent ſe præceptionũ, quas de artibus explicaſſent, utilitatem aliquam percepturos. Quòd ſi quis eſt, Auditores grauiſs. qui poſt expugnationẽ Troiæ quãplurimarum gentiũ ritus & urbes uiderit, is apud Græcos Vlyſſes fuit: ſi quis itẽ qui poſt Galliæ patefactum Oceanum ſapientior à peregrinãdo reuerterit, is erit profectò Bellonus, quem ideo Vlyſsi Homerico non ineptè uidebor aſsimilaſſe. Etenim Vlyſſes uaſtata Troia, cùm ad reditũ pro-

peraret, ſiue fluctuum procellis ingruentibus, ſiue Diis ita uolẽtibus diuturno errore agitatus eſt: &, donec cæli ambitum circuiuiſſet, nũc in Cyconũ littus, hinc in Africam, tum in Siciliam, & in Aetoliam, inde ad Læſtrigonas, ad Circen, ad Scyllam & Charybdim eiectus. Qua in nauigatione ſi quãdo naufragij horror immineret, Mercurij & Mineruę pręſidio ſoſpes emerſit, demúmq; pręter omnẽ expectationem, patrios penates & Itacæ focum recepit. Bellonus autem Gallia ſponte decedens, in Italiam, Hiſpaniã, Arabiam, & cæteras, quæ quatuor Olympi cardinibus ſubiacẽt, tam habitabiles, quàm inhabitabiles prouincias deuolutus, non modò populorum mores & religionem, verumetiam ſitum, aërem, & cuncta, quibus affluunt, metalla, herbas, piſces, frutices, belluas, uolucres indagauit, qua ex inquiſitione pluſquã Vlyſſeam prudentiã, & in Naturæ miraculis occultam ſubtilitatem conflauit. Sed, heu! quæ interim mala, quas miſerias in tã diſtrictis finium interuallis toleraſſe illum exiſtimatis, qui nullos comites itineris haberet, quos ipſe noſſet, quibus ſenſa exprimeret, quibus conſilia detegeret, quibuſcũ

amicè

amicè loqueretur? Veruntamen cùm pro inſatiabili cognitionis deſiderio moleſtiam vltro deuorabat, tum ſe præſertim ex eo ſolabatur, quòd apud Principes uiros, quorũ in uia beneficiis erat ſubleuat⁹, & apud poſteros, quorum commodis ſeruiebat, gratiam eſſet non infimam initurus. Quos ut arctius deuinciret, commentarios laborum ſuorum exarauit, in quibus vniuerſa per vnius noctis lucubrationẽ abſq; tædio cernerent, quæ pluribus annis ipſe cum periculo inueſtigaſſet. Atque hi commentarij, Aud. grau. tenebras à nobis prius inextricabiles diſpulerunt, cùm de piſcium nominibus & affectionibus, de plantis & huiuſmodi, quæ in Aſia & Africa uiſuntur, propter ignorationẽ labaremus. Quare Carneades ille noſtri temporis Cardanus Bellono nonnihil refert commodatum, & in aſſerendis Naturæ arcanis eo authore, ut idoneo & aſsiduo fideiuſſore nititur. Quòd niſi præſens uirtus ſorderet, ac ſi tãtundem in Gallia, quãtum alibi merita noſtrorum hominum penderentur, certiùs pollicerer fore aliquando, ut pluris Belloni peregrinationes, quàm Vlyſsis: nec minoris eiuſdẽ libri, quàm phyſiologicæ Plinij & Ari-

ſtotelis obſeruationes æſtimarētur. Verùm quæ iſthæc ſtoliditas, quæ iſta, quam toties lamentor, opinionum peſtis, ut Galli Gallicam induſtriā aſpernemur, ut à peregrinis nos ingenio ſuperari annuamus, & ſi arx munienda, ſi domus ædificāda, ſi quid ſubtilius aut elegantius moliēdum, procul ex Italia uel aliunde operarios aſciſcamus, cùm hîc & uigilātiores, & (vt pro mea veritatis enunciandæ licentia dicam) fideliores nanciſcamur? Sed quando iſta inueterauit peſtifera cōſuetudo, fruſtrà conor labefactare, fruſtrà mentē gentis noſtræ corrigere, quæ ſic tenaciter adhæreſcit, ut citius vrbes ruituræ ſint, quàm contractū de aduenis iudicium conuellatur. Quocirca non me peruicaciùs torquebo, ut Bellonus ſit ea exiſtimatione apud nos, qua peregrini, aut qua etiā ipſe apud peregrinos. Attamen, ſi placet, Aud. grauiſs. illud à uobis extorquebo, ut quemadmodum Vlyſſes in diſci iactu laudem à Phæacenſibus retulit: ſic iſte poſtremò in iis Iatriis laurea cinctus acquieſcat, ubi ſi non celeritatem fractus itinerum longinquitate talē pręſtitit, qualem qui in porticu & vmbra deſides latitarunt, ſaltem curauit, ut lacertorum vi pe-
dum

dum imbecillitatem ſuppleret, ac nonnullorum linguæ volubilitatem ſententiarum grauitate præteriret.

AD STEPHANVM GOVRmeleum Curioſolitam.

PEruagatũ eſt illud Græcorũ prouerbium, Aud. grauiſs. ut ad quam quiſque artem natura ſit appoſitus, in ea connitatur, neque quidpiã alienum à ſuo ingenio concupiſcat. Idem penè Pindarus in Chromij Aetnęi hymno uſurpat, ubi, quoad licet coniicere, Athletam ſuum admonet, ne à palæſtra in quam eſt procliuior, ad aliud obſcurius ſtudium conuertatur. Et certè multorum in hiſtoriis nomina inueniuntur, qui cùm uel imprudentia, uel lucri opinione, uel precibus parentum ſeſe inuita & repugnante Minerua alicui uitæ inſtituto applicuiſſent, illud mutare coacti ſunt, quod in eo nihil ſibi promouere, quãlibet incumbentes, uiderentur. Ac ne externa conquiram, ecce Stephanus Gourmeleus apertè indicabit, quã

irritum ſit more Gigantum bellare cum Diis: quod nihil aliud eſſe interpretor, quã Naturæ aduerſari. Nam cùm is ſuapte ſpõte ad Medicinam mirabiliter raperetur, & ad illam ſeſe philoſophicis & optimis diſciplinis muniuiſſet, tamen à ſuis ad Iuriſprudentiam obiecto emolumẽto eſt reuocatus. Cuius rei cauſa Toloſam detruſus, etiamſi nocturna diurnáque manu Iuriſcõſultorum chartas reuolueret, nihilo ſe ſapientiorem & doctiorem fieri ſentiebat. Inſtabat autem eius oculis Medicina, virginali facie habitúque decoro, & animum blanditiis amoris ſui ineſcabat, ac ſi repudium Iuriſprudentię nunciare uellet, locupletiſsimam dotem, & integrum patrimonij ſui vſumfructum obligabat. Quapropter Gourmeleus, qui propẽſius iſtam in partem inclinabat, repentè impellitur, ut arcem legũ Toloſam deſerat, ac Medicinę ſacris in hoc auſpicatiſsimo templo initietur. Hinc tres quatuór ue annos priuatæ commentationi addictus quieuit, temerarium fore ſuſpicatus, ut de puluere ſtatueret, antequam arma omnia domi comparaſſet, quibus ad pugnam uehementem uti expediret. Porro proluſioni & xyſto aſſuefactus

ſuefactus, cùm ſe alterum Chromium, & literis plenè tinctum atque coloratum perciperet, atque reſtare unum illud intelligeret, ut cœtu publico de doctrina periclitaretur, fama iſtorum ſubſelliorũ pellectus adſcribi ſe in ordinem Iatrogoniſtarum curauit. Quid tum? Biennio æſtus continuos & laboris difficultatem exhauſit, atque nũc Galeni & Hippocratis, qui principes & authores hiſce Iatriis initiũ dederũt, technas fideliter tyronibus detegendo, nunc corpus ſuum audacter progymnaſiorum telis opponẽdo, meruit ut hodierno die brauij ſpẽ ex Agonothetę mandato exploratiſsimam opperiatur.

AD PAVLVM PEZERO-nem Curioſolitam.

QVi patriã in laude aut probro alicuius ponunt, Aud. grauiſs. non penitus ratione carent, quoniam mores ab ipſa locorum conditione, & à uitæ conſuetudine ſuppeditantur. Ac ut non eundem ubique aërem ſpiramus, ſed in terris, quæ propinquo fluctu & fluuio alluun-

alluũtur,craſſum & concretum: in montibus, qui ſereno cælo patent, purum ac tenuem: ſic etiam gentibus ſingulis ſua uitia uel probitates ingenerãtur, à quibus ſi maximè cupiant, nullo modo diſcrepare poſſint. Itaque Carthaginienſes fraudulenti quondam & mendaces, ſed bellicoſi: Græci uani & garruli, ſed induſtrij: Romani ſuperbi & arrogantes, ſed armis & imperio præpotentes iudicabantur. Quinetiam in Chriſtianis populis multiplices naturas & receſſus notarẽ, niſi odioſum & infeſtum mihi fore metuerem, ne ueritas orationis nonnullorũ inuidiam inſtigaret, qui ſordes incunabulorum ſuorum, & natalitij ſoli leuitatem nudari erubeſcant. Pindarus autẽ in Phylacida Quinquatrij uictore inſulam Aeginam miris encomiis perſtrinxit, forſitan ratus (id quod Themiſtocli dicitur Syſiphius quiſpiã obieciſſe) illum non ex ſua, ſed ex patriæ gloria ſplendorẽ aſſequutum. Atenim Aegina Achilles, cũctique Græcorum militiæ magnanimi ductores oriundi ferebantur, adeò ut conſentaneum eſſet, qui Aeginetas naſceretur, eum aliquando in caſtris & acie dominari oportere. Quòd ſi ea in uobis opinio inſideat,

deat, Aud. grauiſs. quid non lubebit hoc argumento Paulum Pezeronem decantare; quòd in Britannia originem à Curioſolitis traxerit: quæ natio vrbium pulchritudine, ſalubritate, deſcriptione, adhęc ciuiũ ſãctimonia & fortitudine inter Gallos magis, quàm inter Græcos Aegina celebretur? Licet enim undique mari Curioſolitæ cingantur, licet ab Anglia, Dunia & hoſtilibus oris terrores intententur: tamen ſemper Curioſolitæ, & ab incurſionibus & curis ſoluti ac liberi ad hunc uſque diem reſtiterunt. Erit uerò Pezeroni illud imprimis ornamẽto, quòd in regione illuſtri primas gratiæ poſsideat apud clariſsimum medicum Corentinum Beguetum, & nobiliſsimum virũ Petrum Quermoriacum eius prouinciæ præfectum, reliquóſq; Britanniæ totius moderatores, quorum liberis nepotibúsue magna fide ac uigilantia Lutetiæ præfuit. Verùm is nõ tam prouinciam & patronos iactat, quàm doctores, quorum monitis & præceptis ſecundum ad iſta Iatria curſum fuit conſultò auſpicatus. Nam cùm patriæ, quæ ſpiritũ, cùm patronis, qui uictũ impertiunt, multum obligati ſumus: tum uerò magiſtros,

qui

qui benè uiuendi & ſcienter intelligendi uias indicant, præcipuo cultu uenerari debemus. Qua de cauſa priſci non tantùm palæſtritæ, uerumetiam illorum aliptæ corã per præcones pronunciabantur, quò uictoriæ partem, & proſperos pugnarum euentus quodã ſibi iure uendicarẽt. Ac proinde Pezero ab iis longè diſſentit, qui ut extollantur à vulgo, diſsimulant ſe cuiuſquam opera in prætexendis ſtudiis adiutos: cenſetque ſi ego præceptores, quorum doctrina creuit, nominauero, nonnihil ex iſta mentione dignitatis ad ſe redundaturum. Nam ſi domini ad ſeruos, opificis ad tyrones, Imperatoris ad milites fama & experientia influat, qualem eum euaſiſſe colligatis, quem Iacobus Carpentarius ætatis noſtræ Chryſippus Philoſophiæ oleo perfudit? quẽ Gopylus, Brigardus, Duretus, Lafileus, Petreius, Alemanus, Grealmus, Alanus peritiſsimi aliptæ vnguentis Medicinę aſperſerunt? Is ergo, Aud. grau. congruum patriæ & dignum magiſtris animum ac robur gerens, in Iatriorum curriculo ſæpius docuit, quantum homo Curioſolita in Pariſienſi puluere uolutatus laterum firmitate præpolleat.

ORATIONVM INDEX.

I.	Oratio Prima. pagina	7
II.	Oratio Secunda.	33
III.	Oratio Tertia.	55
IIII.	Ad Iacobum Carpentarium Bellouacum.	77
V.	Ad Ioannem Neſtora Lutetianum.	83
VI.	Ad Antonium Prunerium Lingonenſem.	87
VII.	Ad Claudium Balliuum Cabillonenſem	93
VIII.	Ad Iacobum Huſteum Baiocenſem	96
IX.	Ad N. Odoardum Lutetianum municipem.	101
X.	Ad Io. Rochæum Heduum	105
XI.	Ad Mauricium Cordatum Rhemenſem	111
XII.	Ad Claudium Carlotum Nouiodunenſem.	115
XIII.	Ad Iacobum Peletarium Cænomanum.	121
XIIII.	Ad Nicolaum Petreum Senonenſem.	126
XV.	Ad N. Richeletum Rhemenſem.	131
XVI.	Ad Io. Liebaldum Diuionenſem.	134
XVII.	Ad Ioannem Bordonium Lugdunenſem.	139
XVIII.	Ad Petrum Rauinium Lutetianum.	142
XIX.	Ad Petrum Bellonum Cænomanum.	146
XX.	Ad Stephanum Gourmeleũ Curioſolitam.	151
XXI.	Ad Paulum Pezeronem Curioſolitam.	153

Pagina 62, verſu 25, lege homunculi.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum eſt auctoritate Franciſci II. Francorum Regis, ne quis alius, præter Federicum Morellum typographum Pariſienſem, Haſce Ioannis Veteris Orationes in Medicinæ commend. &c. ante ſexennium ab hac prima editione excudat, né ue uendat. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata multabitur. Priuilegium Pariſiis irrogatum ac conſignatum, Iunij XXI. Anno M. D. L X. Subſcriptum de conſilij ſententia,

DELVC.